

25959. H. L. J.

S 75  
C4

Ein und zwei Tausend ist in dem Gauß Königswesten preis  
Auction am 12. 856 zu Wien zu 3 ff. C. M. angeboten.  
Dankbar Preisgekündigt durch Miller v. Bozen  
Wien, Kreuz Kupfer.  
gäbe - 12 Km. C. M.

Wien - am Mittwoch, Mittag zu Nr. 45 der Ölgem. Klasse  
am 12. 856 folgenden Monat wird  
A. Stargardts in Berlin: 23. Leopoldstrasse 100 man  
mündig bewusst: Geplättet mit Sieg dem Lärmst. Wiens  
Corynus v. den Rittern zuerst dann aber nach Linz  
verbüttet und dann Chrabac mit Mongoleiern - 1578  
Lengberg in Pamplon. - In Rupertsch' zu Wien) Erzign  
gral. N° 9, 50. Octo. 1857 ist filigran: Schönleben  
Carniolia antiqua et nova, antiqua Celteca, Pan  
norica, Istrica, Carnica, Slavica. 3 vol. M. Forman.  
fol. Libaci 1680. Dfb. 10 ff. C. M. " " " Dissertatio po  
lemica de primo origine augustiss. domus Habs  
burgi Austriae et fol. Libaci 1680. Lib. 3  
3 ff. C. M. - Das von Lingnau Manck fand Denis in den  
Kreistagen zu Prag im Buche Kangaspijl, Wien, P. 1700.  
ab Anfang 1546, manndtig vorne hauet zu Kreuzenpol  
cher, sponis Ceh. Spindlers Lüftungsdach auf dem Ebene  
Halden, von glaubam Omt. T. 614 f. von Denis Minus auf  
w. d. q. j. zum Epitaph über die Akersperge vergraut, und ein  
Gräberstübe in Herwarden v. Akersperg, Gründel in den Cro  
sippus Gräber, vergraut. Manns, Deuck, Joh. Mannel  
dnu. Den Dr. Baesler Primus Trüber ist Leud. abmacht hat  
et. 475. in Baumgärtens Neuj. m. num. k. L. 11. B. 3  
475. Neuj. fol. Georg Widmanstadius in Primello  
num für Baron Trenck und Antonius Ingelau. - finit  
da zu offen fñist. Praubers, Lippes zu Lengberg

(493-526) mindestens seit 1519 zu Wien gehörte. (S. 194 f.)  
nun Denis' Siegen. (V. Minck.) Von Simon Longouan Jacob  
Strauß (Königl. Buchdruckerei, nun Druckerei Föcker, Bd. III, S. 876) bzw.  
delt. in seiner Physikum und Physikalisch-Mathematikam,  
f. S. 552, 619, 625 nun Denis' Siegen. V. Minck. —  
S. 234, II. von Catalogi von Clefius ist hingewiesen, dass han  
niss Marlii Locis communis am Johann. Hildebrecht Pro  
gorrentius ist. Frankfurt 1574. sol. frustam in vng  
von demselben augen in den Böchern des von Lautzen  
der von Lingnau der Lüneburg. — S. 235 Lautzen. Aedeborn  
dem loci communis, Franco. 594, T. 321, T. 322 ist in Lüden.  
Brix 1729, II. von Antikes Tarinthide nach Magister  
(Lübeck 1712) geist ab. In Lippe f. 159a und 159b  
Lugdum und Spurwitz Cambodice Verganniclan in  
Craynland dan Windischen Meers Cambodiceffan  
der Pünktungen Pmoefffigelt. Von d. Z. ist in Crayn  
und Crayn. — Unten genannt die raffnung und fä  
ur in vorlinquidare seculi Bergmühlen Kleinam  
Lugd. f. T. 76, II. 50. 1. V. ist dan spätestens 1590  
stich nach Hannover. (Z. Lübeck f. 159a und 159b  
1855.) Onckland Vniuersit. Mexico, IV. T. 568:  
Veit Rößler wem in Fulda 1560. Einzanniclan in  
Lamburg, und fuit an die B. To a nem unlesam dle  
Magisterne. V. ist auf Taf. Veit Rößler in Fulda 1605  
als Brunnen der Carlhäder zu Lübeck  
genannte Ring wider die Lübeck. [V. Coesfeld]  
Ring das kann wohl zum Crayn III. p. 170 zu Lübeck  
zum noch magnecken Dispolinie. — Harmonicus  
Magister: ΠΑΠΟΙΜΙΟΛΑΤΙΑΣ. Part I. qua Con  
sideratur Secretariae insigniores etc. (Grecie Styri  
ae Mediolanensis, Nodding sat. des Doctore  
T. Febr. 1592) ist gewidmet: domino Georgio

HERBARDIAVR.  
SPERGY BARONIS ETC.  
Rerum Domi Militiaeque Præclarè gestarum gloria Præstantissimi, Vita et Mors,  
ad salutem et commodum Patriæ transacta,  
et in Coruatiæ extremis finibus ad Budatsh-  
kum X. Calend. Oct: in prælio aduersus  
Turcas, omnis memorie crudeliss:

Christianorum salutis oppugnatores, gloriosissime  
oppetita.

A

Georgio Khisl de Kaltenprun Hereditario ampliss: Ditionis Goriziensis Dapifero  
properanter & turbulentè descripta.

LABACI EX OFFICINA IOAN-  
nis Manlij, M. D. LXXV.





W-03000 3816

# VETERI ET IL.

*LVSTRI FAMILIAE AVR-  
SPERGIÆ, TOTIQVE AMPLIS=*

*simæ propagationi, ornamentis omnibus*

*honoris, monumentis gloriæ, &*

*laudis insignibus*

*affluentि,*

S.

*E*Quidem omnes bene de Rep. meriti, atq; emerentes chari nobis esse debent : quod omnes suas cogitationes in salutem Ciuium Ciuitatumq; incolomitatem, vitamq; hominum, & quietam & beatam conferentes pacis ornamenta retinent : In primis vero Imperatores, qui virtute, confilio, fœlicitate, & belli pericula repellunt, & Remp: bona fortunasq; omnium liberosq; conseruant dimicacione & periculo vita suæ. Qui autem virtusque præstant, ut & domi leges iudiciaq; rectè administrent, omnes pari eodemque iure retinentes: & foris omni studio ei bello incumbant, in quo gloria & diuturnitas no-

## PRÆFATI O.

minis Christiani, salus vicinorum, fortunæ plurimorum ciuium cum Repub. defenduntur, dignitatem patriæ, & voluntatem Senatus, suis omnibus commodis & rationibus præferentes, hostanquam mortales quosdam Deos colere, certè omnibus officijs quantum est in nobis, prosequi omnemq[ue] ijs, si non patrem ipsorum ingenij, at pro nostris studijs debitam referre gratiam debemus, & viuis & mortuis. Eiusmodi mehercule fuit, non solum vestræ vetustissimæ familiæ, nobilitate & rerum gestarum gloria affluentis, sed etiam sui amplissimi ordinis decus, HERBARDVS Baro ab Aursperg, Eques splendidissimus: Marchiæ Illyricæ Cubicularius, Cæsaris & Archiducis Caroli &c. Consiliarius, Dux & Præfctus prouinciæ Carniolæ, & in Coruatiâ eiç̄ adiuncta ora maritima, militaris imperij Administrator atque vicarius. Nam & multos annos Reipub: ita præfuit, ut one re deposito domestici officij, omne suum studium, omnes cogitationes, in eam conser uandam

## P RÆFATI O.

uandam atque amplificandam conferret: & omne tempus ætatis ad scientiam rei militaris sic traduxit, vel suis imperijs, vel periculis in præsentia & ante oculos propositis alacri animo aditis, ut nulla iam res esset, in vnu militari posita, quæ eius scientiam fugeret, atque vt diuinitus propter studia militaria apud iuuentutem obsoleta, homines autem & summos Duces, partim ætate, partim ferro consumptos, cum tot bella aut à nobis necessariò suscipiantur, aut subito atque improvisa nascantur, ad dubia labentis atque cadentis patriæ tēpora, & cæteros studio laudis ac virtutis inflammados, natus videretur: Non literis ad rei militaris scientiam, sed rebus gestis Triumphis ac victorijs eruditus. Quod abundé declarant ipsius res gestæ, multæ, magnæ, atque præclaræ, quæ facilitati ipsius & virtuti: hæc autem extrema quæ nuper acciderunt, non culpæ, sed fortunæ & nostris peccatis tribuenda sunt, atque si verum quærimus, in maxima ipsius laude

## P R Æ F A T I O.

ac gloria ponēda: Nam qui antea saepius im-  
manem & fœdam crudelitatem Turcarum  
non solum à iugulis nostris , sed etiam à  
membris & viscerebus auertisset, paucisq; co-  
hortibus cum maximis Turcarum copijs  
cōflixisset, hostesq; nefarios, D., O. M. templis  
huius vrbis tectis, libertati, vitaq; nostræ ac  
sanguini imminentes prostrauisset, fudisset,  
occidisset, is ad x Calen. Octob. dū gloriæ &  
laudis auditus , effrenatius in aciem hostium  
irruit, nihil minus quam ipsorum tam repen-  
tem aduentum expectans, eorumq; primos  
ordines metu, & ipsius cōspectu perterritos,  
fugiētes acriter insequitar, repente à reliqua  
multitudine vndiquaque circūleptus est, acri-  
terq; cominus pugnās, duabus nobiliss. ho-  
stium Ducibus confossis, & totidē ad necem  
vulneratis, cum iam vitam cum sanguine ef-  
fluere sentiret, fortiter collum subiecit ijs gla-  
dijs quibus multi ante eū ipsius similes, mi-  
norū cum gloria occiderūt. Quo ipsius acer-  
biss: crudelissimoq; interitu, tantus omnium  
mentes

## P RÆFAT I O.

mentes dolor occupauit, tanti fletus lamentationesq; vndiquaq; cōsecuti sunt, vt omnes omniū ordinum homines recordatione ipsius excellentiar quas aut maximo suo cōmodo experti essent, aut fama & auditione accepissent, studia erga ipsum, quæ re & iudicijs fœpē significassent, vultu & lachrymis, quas plurimas in ipsius funere profuderunt, declarent. Quis enim tuu non gemuit? quis non arsit dolore? Cuius in vita, nitebatur talus patriæ, cum eo tēpore esse ademptum, quo quia vnuus ille occidit, non hæc solum prouincia, sed omnes ferè finitimæ atq; adiunctæ conciderū? Quem Dei beneficio Reip. procreatū immortalē si fieri posset, omnes boni esse cuperēt, ei difficilimo Reip. tēpore præter oīm opinionē crudeliter allatā esse mortē? Quan do autem hoc vestro, vel potius Reip. granī vulnerē, mōret Cæsar, imperij & existimatio nis gloria præstatiissimus: Dolet ipsius frater minimus natu Carol', cuius dominationi & potestati nos & natura & voluntate parem':

tota

tota prouincia in lamentis luctuq; iacet. Squa-  
lēt cohortes, afflictantur reliquiæ Coruatix;  
amissione sui conseruatoris, agri denique ipsi  
deserti, & arces relictae direptioni atq; incen-  
dijs, tam beneficū, tam salutare, tam fortē  
defensorem ac propugnatorē dēsiderāt, non  
est mirū vos Illustres viros, quos propter cō-  
munionem sanguinis & coniunctionem ani-  
morum p̄cipue hæc res attingit, vestrū  
dolorem dissimulare non posse, sed vultu  
& significatione ostentare, opinione omnium  
maiorem esse tantum certe, quantum vobis  
incredibilis à natura & à voluntate profe-  
ctus in ipsum amor & vniuersæ Reip. vul-  
nus, medicinæ ac curationis expers afferre  
debuit. Neque enim estis illi ferrei, qui tam  
acerba vestrorum morte & scrutute non  
moveamini, eorumq; omnium lachrymis, à  
quibus vos circumfessos videtis, quiq; vobis  
aut ad spem consolationis, aut ad societa-  
tem calamitatis quotidie p̄stò sunt. Ver-  
satur etiam vobis, dies & noctes ante ocu-

## PRÆFATIO.

Ios maxin & spei & expectationis adolescens  
propter singulares virtutes suavitatemq;  
morum apud omnes ordines gratus, q; ii  
cum se patri ante oculos trucidato, aut mor-  
te, aut servitute satisfacturum esse spopon-  
disset, alterum fecit, alterius omen Dij auer-  
tant: Is ex vinculis atq; tenebris supplices ad  
vos tendit manus, veltrumq; auxilium taci-  
tus implorat, remittentemq; iam dolorem  
incendit atq; excitat. Sed illa vos homines  
& naturæ & doctrinæ adiumentis instru-  
ctos, & à vera Philosophia, quam Aristoteles  
ignorauit, in eiusmodi euentis curationem  
petentes, sustentare debent. Mors consenta-  
nea vitae sanctissime honestissimèq; actæ, in  
qua sœpè magno usui Reipub. & priuatus &  
in magistratibus fuit. Cogitatio conditionis  
humanæ & ipsius mortis nobilitas atq; glo-  
ria Recordatio eorum, quæ pro salute pu-  
blica gessit, hoc est memoria vitae gloriose:  
Hōnos sepulturæ qui maximus haberi potest  
mortuo, quo ipsum ne crudelissimi quidem  
hostes

## PRÆFATI O.

hostes carere pafsi sunt. Communis omnium  
luctus honestę mortis testis. Mortem illam  
vulgarem eiusmodi vivendi viam ingressis  
nullam præbere materiam ad laudem. Vita  
& mors præclaris monumentis ad omnem  
memoriam cōmendata. In primis autem Cæ  
sar & Archiducis Caroli literis, quibus ei  
præclarū fortitudinis & sanguinis propatria  
profusi testimoniūm impertitum est, quod  
extet ad memoriam posteritatis sempiter  
nām, atq'ie ad iudicium ipsius in patriam  
benivolentiæ æqualis ætati. Illa enim vo  
bis notiora sunt, quam mihi. Vitam non  
tam esse in Spiritu, quam in laude & glo  
ria, cuius etiam post mortem sensum ha  
bemus. Cum possis cum summa virtute &  
honore pro patria interire, cumque dies &  
noctes omnia hominum vitam vndique fata  
circumstent, melius esse illum Spiritum,  
quem naturæ debeas pro patria effundere,  
quam per dedecus & ignominiam, aut vi  
uere aut seruire. Neque turpem mortem  
forti

## P RÆFATI O.

forti viro posse accidere , neque immatu-  
ram, nec miseram, non dubitanti pericula;  
labores, dolorem, mortem etiam pro patria,  
si ita ei conueniat suscipere. Quod ei cru-  
delissimi hostes cum obesse vellent, pro-  
fuerunt, multasque ei, vita erepta, uno dolo-  
re, animi ac corporis, & omnes in ipsum ser-  
uientem meditatas iracundiae pœnas ade-  
merunt, ipseque eō cupidius ad mortem  
concurserit, quō maiora proposita victo  
supplicia seruitutis videret. Ad extremum  
quod alta quadam mente & excellenti in-  
genio prædictus hostium crudelitatem, à qui-  
bus victoribus si cruciatus absit, mors in  
beneficij loco numeranda est, suo san-  
guine & vulneribus suis satiare maluerit,  
quam dare se incertæ & periculosæ fu-  
gæ : Improbis vero materiam inuidiae &  
sermonis, quos animo cernebat laudi sue  
si aduentantis hostis aspectum subterfu-  
gisset, obtrectaturos. Quodqne flius pa-  
tri similis, virtutis robore firmior, quam

# P R A E F A T I O.

ætatis, se in medios hostes & vndiq[ue] i[n]q[ui]c[t]a  
 cumfusos immiserit: itemq[ue] quod virtute su-  
 perans ætatem, initium configendi cum ho-  
 stibus fecerit, ipsorumq[ue] fulgentes gladios, &  
 in suum caput vitamq[ue] districtos, non per-  
 tinuerit. Quod omnibus in terris & iam ver-  
 setur & semper habitabit mortis ipsius me-  
 moria neque silebitur filij admirabilis ac pe-  
 nè diuina fortitudo, propter quam multi à  
 maioribus in celum sublati sunt, atque in  
 Deorum numero collocati. Quid? illa nihil  
 ne ad leniendum vestrum dolorem & lu-  
 Etum pertinent? Inanes hominum spes, im-  
 belligillitas cōditionis humanae, & fallaces no-  
 stræ cogitationes, quæ in medio spacio sapè  
 franguntur & corruunt, & ante in ipso cur-  
 su concidunt quam portum conspicere po-  
 tuerunt. Quod perpetua quadam felicitate  
 usus, ille celsit è vita, suo magis q[ui]ā Reipub:  
 tempore, & tum occidit cum lugere facilius  
 Rempub. posset, propter perturbationem  
 religionis & bonorum sui similium penuri-

# PRÆFATIO.

an si viueret quādū iuuare: vixeritq; sibi &  
suæ gloriæ sati. Vestro itaque & communi  
omnium incommodo detrimentoq; dolen-  
dum est. Illius vero mortis opportunitas &  
nobilitas benevolentia prosequēda, vt quo-  
tiescunque de fortissimo viro cogitabitis,  
totes ipsius præclarissimarum virtutū vo-  
bis veniat in mentem. Si enim id doletis,  
quod eo iam frui vobis non licet, commu-  
ne est & vestrūm præcipue id malum, quod  
moderatius iam ferri debet, ne non ad bene-  
volentiam, sed ad domesticam utilitatem  
referri videatur. Sint tanquam illi ipsi aliquid  
acciditatis acciderit angimini, videte ne po-  
tius sit gratulari ei beatam, & omnibus bo-  
nis circumfluentem vitam, & longè optatis-  
simum dominatoris Dei conspectum, sem-  
piternis illis mentibus circumfusum, quam  
hoc eius casu nimirū mœrere, summamq; ip-  
sius fœlicitatem nō satis grato animo inter-  
pretari. Omnia ita sentire debetis, vobis  
optimam illam esse consolationem: coniugi:

P R A E F A T I O.

quod eō viro carcat quem laudare quam lu-  
gere præstat : liberis quod habebūt domesti-  
cum exemplum virtutis : Fratri, quod in se  
ut corporis sic virtutum similitudinem esse  
confidet: proximis, quod recordabuntur tan-  
tum maioribus eorum debitum esse, vnde  
etiam quod posteris solueretur redundaret.  
Quæ ego non idcirco commemoravi, quod  
vobis minus venirent in mentē, sed indican-  
dæ meæ singularis vobisq; debitæ obseruan-  
tiæ causa, testificandiq; mei incredibilis do-  
loris meritò ex vestro luctu accepti : quem  
vtinā abstergere vobis oratione mea possem  
aut aliquid eiusmodi afferre, quo eum si non  
omino (ægrè enim diuellimur à natura cō-  
iuncti) at aliqua tamen ex parte deponeretis  
gauderetisq; potius, cum multa & varia im-  
pendeat hominibus genera mortis id genus  
quod est pulcherrimum ei obtigisse : cumq;  
nec inhumatum esse nec desertuor (quod ta-  
men ipsum pro patria non miserandum pu-  
tatur) sed honorificentissime redditū terræ,

cum

## P R A E F A T I O.

cum ei supremi dici celebritatem, etiam ini-  
mici, ipsius memoriam propter virtutes, gra-  
to animo usurpantes, concederent. Sui vero  
cum lamentis, & laudationibus, unde ipso-  
rum preces & vota cognoscere potuisti, ad  
sepultarum sunt persecuti: eo omniū ordinū  
& ætatum concursu, ea doloris significatio-  
ne, quæ futura est ad memoriam posterita-  
tis nuncia virtutis. Quanquam autem non  
ignoro, præstantiss: hominem & fortissimum  
Imperatorem immortalitatem habiturum  
a seipso, semperq; illius constantiam in peri-  
culis, in Rep: tuenda curam atq; prudenti-  
am, dexteramq; non minus in bello prælijsq;  
quam in fide promissisq; firmam, omnium  
mortaliū amam ita celebraturam, vt  
vera prædicatio ipsius nominis etiam ab in-  
vitissimis extorqueatur: Tamen, quando  
viuenti, eam quam cogitabam & quam de-  
bui operam nauare non licuit, mortuo gra-  
tus esse volui, in eius rebus gestis memoria  
& admiratione dignis, si non eleganter &  
pro

## P R A E F A T I O.

pro ipsarum dignitate: at verè & pro meo  
in vos omnes merito debitoq; studio refe-  
rendis, & in eius morte decoranda, cui nul-  
lam aliam gratiā referre iam possum. Quod  
propter hæreditaria multa magnaq; vestro-  
rum maiorum in meos collata beneficia ma-  
xime debeo. Quæ separatim referre breuita-  
ti studens intermitto: tanta autem esse li-  
benter prolixèq; fateor, ut maximam partem  
nostrorum ornamentorum ipsis acceptam  
referamus quæ centum annorum interuallo,  
quo primum nostri maiores, vestrorum gra-  
tiam & auctoritatem secuti, relicta Ducis  
Bauariæ aula, & fortunarum suarum domi-  
cilio, hic commearunt, multifariam in ipsos  
contulerunt. Idcircoq; vos viciissim omnia  
a nobis studia, opinia officia, omnemq; ope-  
ram expectare cupiamus. Hic accedit, quod  
tanta fuit huius illustris Herois in patrem  
meum benevolētia, tanta item eius in illum  
obseruantia, nata ex multorum officiorum  
coniunctione, ex quotidiana cōsuetudine, &  
p̄bli-

## P RÆFAT I O.


publicorum munerum societate, in qua xx.  
totos annos domi militiæq; coniunctissime  
vixerunt: ut meas præcipue partes esse puta-  
rem augere præclarissimum virum hoc ho-  
nore, si modo aliquis à me propter ingenij  
humilitatem in eum potest redundare, cui  
nullus honor nisi debitus tribui non potest.  
In eo vero maximè, iuste apud vos veniebat  
que excusationis spem pono, quod quanquam  
non defuturos intelligerem, qui hoc & vbe-  
rius & ornatius facerent, tamen ego, qui ne-  
que usu satis & ingenio parum possum, ag-  
gressus id sim, non tam perficiendi spe, quam  
parentis studijs obtemperandi voluntate,  
maluicq; morem gerens ei, cui me charissimū  
esse intelligerem, cuiq; nihil petenti negare  
debeo, desiderari à vobis prudentiam meam  
quād si id non fecisset benevolentia. Quod  
autem minus ingenio possum, subsidio mihi  
veritatem comparaui, quæ in rebus gestis  
euentisq; hominum memoria repetēdis elo-  
quentiae præferri solet: in quibus, si eloquen-

## PRÆFATIO.

tiam afferas, non est aspernenda, si non afferas, satis est sicætera desiat, non esse nienda cem. Quod, ut cætera non possim, certè præstabo: omnesq; ipsius honorum gradus, in ipsis deferendis omnium ordinum studia: omnes inimicis oblatas occasiones præliorum: irruptiones, ipsorumq; agrorum depopulationes: de ipsis relatas victorias, quā in diligentiss: & breuissimē potero, ita prosequar, vt neq; veram laudem ei detrahā, neq; falsam affingam: Deniq; quemadmodū ipsius corpus inimicorū crudelitati præbitū & sepulturę datum sit. Vos (Illustres & re & nomine viros) precatus, si aut humilitate verborum, aut insolitatem sententiarum, ipsios clarissimis factis, non lucem, sed noctem & tenebras attulero, vt ita existimetis me nihil quod quidem à patre alijsq; fide dignis, & spectatæ industriæ viris, eius nomen cœbris sermonibus q; iotidiè vñsrpatis, auditum meminisse, silentio præterijisse: nihilq; magis cupere quām, vt pro vestrā singulari, & vestrī

## P R A E F A T I O.

vestri generis propria humanitate, id à me  
eo animo, quo ego scribens cogitabam, acci-  
piatis, paupertatemq; & inopiam orationis  
meæ qua vtor in laudatione Principis viri  
vestræ antiquæ nobilitatis ex clarissimis ori-  
ginibus profectæ & in hunc diem affinitati-  
bus & clientelis florētissimæ, recensioneq;  
ipsius vitæ, rerumq; præclarè fortiterq; ge-  
starum: vestra copia atq; vbertate subleuan-  
tes, concedentes etiam aliquid infirmitati  
xtatis, id quod deest, non voluntate,  
sed aut inopiai, aut ignoratione  
prætermissum esse pute-  
tis. Labaci Cal:  
Nouem:



*Nervi 10  
fol. 14/6  
f. 107*

**H**erbardus Avrispergivs  
pectatissimus Baro & Eques, vir, memoria  
domesticorum exemplorum virtutis magnus, &  
proprijs ac suis laudibus multò maior: Ipsius enim  
generis antiquitas, sexcentos iam annos amplius,  
cum cæteris ornamentiis virtutis fortunæ & ingenij  
tum æstimatione singularis cuiusdam ad res maxi-  
mas bene gerendas & diuinitus adiunctæ fortunæ,  
maximè floruit: Ipse verò & in omnibus vitæ par-  
tibus moderatus, honestus atq; integer: & in re mi-  
litari, cum summi consilij & max: animi, tum vslu  
quoq; bellorum gerendorum sui ordinis, hominum  
longè præstantissimus, non modo à maioribus reli-  
etas & traditas, à patre etiam acceptas laudes con-  
seruauit, sed multas præterea addidit proprias atq;  
suas. Cum enim se, virtute non genere, hominum  
existimationi commendari cuperet, suiq; generis  
initium ac nominis, ab se gigni & propagari vellet:  
Cumq; ab initio statim ætatis magna spectaret, &  
ad ea rectissimis studijs contenderet, ad summam  
amplitudinem peruenit, non per ludum & per ne-  
gligentiam, vt multi, quibus omnia beneficia dor-  
mientibus deferuntur, sed maximis suis periculis ac  
dimicationibus: vt omnes ipsius honorum gradus,  
omnia imperia ad eum delata, non diuturnis preci-  
bus (vt ferè sit) efflagitata, sed dignitate impetrata,  
& ipsius præclarissimis virtutibus, & in Rempub:  
meritis singularibus, debita fuisse videantur. Tan-  
tus

etis enim Imperator in omni genere belli fuit, præ-  
lijs, oppugnationibus, totiusq; belli instrumentis &  
apparatu, ut non modo eorum, qui nunc sunt sui  
generis gloriæ, sed ne antiquorum quidem memo-  
riæ, Africorum & Maximorum, Epaminundæ  
atq; Annibalis & eius generis hominum quicquam  
concederet. In eodem tanta authoritas fuit, tanta fi-  
des, tanta prudentia in Repub. administranda: Tan-  
ta innocentia in potestatibus atq; Imperijs: vt mul-  
tos annos steterit patria ipsius, item mea, Carniola,  
ipsius Decretis seruandis, & quasi vestigijs perse-  
quendis: atq; vt nullum probrum, nulla suspicio tur-  
pitudinis, quæ aut à cupiditate, aut à petulantia, aut à  
crudelitate nata esset, ei obijci potuerit, neque vera,  
neq; ficta, quæ non aut inuidiæ, aut obrecationi  
assignaretur. Maiore studio, cum omni literarum  
generi, quod eam viuendi viam ingressis cōueniret  
cum eloquentiæ & coelestis Philosophiæ deditus  
fuit, quam qui illum ignorabant, arbitrabātur; Nec  
vero ineunte ætate soli, sed & Praefectus Carnio-  
lae aliquot annos, & in ipso bello, in quo vel pro-  
pter vicinitatem hostium, vel propter assiduitatem  
præliorum, vel etiam propter difficultatem num-  
mariam, ita magna rei militaris & earū rerum, quæ  
ex ea pendent occupatio est, vt nihil aut certè non  
multum Imperatori sub ipsis tectis ac tabernacu-  
lis vacui temporis relinquatur. Ita enī vir bene à  
natura & à disciplina instructus existinrabat, impri-  
mis earum rerum, quibus beatæ vitæ sempiternæq;

salutis hominum ratio contineretur cognitionem  
& disputationem principibus Viris, hoc est, sui simili-  
bus, decoram atq; adeo necessariam esse omnino,  
duimodo illud cauerent, ne quid priuatis studijs de  
opera publica detraherent: neq; iucunditate dome-  
sticarum coimentationum, communem utilitatem,  
desertam esse paterentur. Gloriam enim non mo-  
do non minui, sed etiam augeri, eorum qui ad  
gratiosas illustresq; laudes belli rerumq; gerendarū  
literarum etiam non minus splendidas, peruulga-  
tas fortasse minus, adiunxerunt. Ad summam,  
ea fuit dignitas Hominis, ex præclaro virtutum  
comitatu, ex suavitate morum, totiusq; oris atque  
corporis specie nata: Ex̄tes gestæ, multis, duorum  
omnis memorie Clarissimorum Cæsarum iudicij,  
Reipublicæq; beneficijs amplificatae: Ea existimatio-  
vitæ, ex ornamentis virtutis atque ingenij profe-  
cta, vt paucos hæc Provincia post hominum me-  
moriā ipsius pares tulerit, atque adeo, vt nemo à  
Dīs immortalibus, tot tantasq; restacitus auderet  
optare, quot & quantæ Deorum beneficio, ad  
eum erant delatae, quæ vt illi propriæ erant,  
ita etiam vt diuturnæ & perpetuae essent, cum  
communis salutis atque conseruationis libertatis,  
cum ipsius hominis causa, omnes boni ipsius vir-  
tutes admirantes, & ipsius amore incensi, cupie-  
bant & optabant. Sed quoniam ita tulit casus in-  
festus, vt Vir suis Virtutibus & aliorum vitijs  
maximus difficilimo Reipublicæ tempore & ma-

xima pénuria eorum hominum, qui eam aut caden-  
tem fulcire possint, aut iacentem excitare & indu-  
cere in spēm cogitationemē meliorem, pro salu-  
te & libertate patriæ, pro vita & fortunis eorum,  
quos suæ fidei commendatos & concreditos me-  
minisset, mortem oppeteret, suoq; sanguine odi-  
um inimicorum ita expleret, vt cogitatis direptio-  
nibus atque incendijs modum statuerent, atque re-  
ditum magis maturum, quam processum longio-  
rem quærerent: Nostrum est in homine optimè de  
Repub: merito, & præclarissimas res pro salute  
communi gestas non obliuisci, & nefarias & ipsius  
diuino iñgenio indignas non suspicari; memoris  
amq; eorum quæ non modo in se atq; in domesti-  
cū dēcūs honorifice & temperanter, sed quæ in  
vniuersam Rempub, feliciter ac præclare fecerit,  
publicis literarum monumentis commendatam dili-  
genter retinere, & posteris prodere exemplū ad imi-  
tandum, quo ad similes virtutes similiaq; facta ex-  
citentur. Quæ, quantum ingenio & facultate dicen-  
di consequi potero (quod in me perexiguum est,  
& à qua ut omnes meæ vitæ rationes ab ineunte  
ætate suscepτæ non abhorruerunt, ita sentio me ni-  
hil, aut certe non multum adiuuari) sic commemo-  
rabo, vt ea in omnium animis, ad similitudinem  
imitationemē condi & collocari cupiam, eiusque  
funestissimi diei, quo ille suæ salutis oblitus,  
& quantum patriæ deberet memor, pro ipsius sa-  
lute ad non dubiam mortem concurrerit, æternum  
esse,

esse, atque ad memoriam paris atq; in patriam atq;  
in suos benevolentiae, quos aut crudeliter occisos,  
aut turpiter vincitos, antequam moreretur, aspexit,  
propagatum.

Vt autem primam ingressione nostram, ab  
ipsius cunabulis & pueritiae memoria ultima repe-  
tamus. Cum adhuc puer omnibus ingenuis atque  
sui generis hominibus dignis disciplinis, vestigijs  
suorum ingressus, imbueretur, spe & expectatione  
tanquam in herbis non fallacibus, maturitate & fru-  
ctum ostentans, ita suos aequales discendi studio-  
& ardore quodam amoris, sine quo nihil in vi-  
ta egregium facere possumus, superare contende-  
bat, vt in eo facile maiorum virtutes & nascentes  
agnosceres, & adultis iam atq; amplificatis eos ho-  
nores, quos postea multis gradibus officiorum in  
Rempub. consecutus est, tanquam meritos debi-  
cosq; esse delatos. Quia specie & non facta sed vera  
significatione virtutum, & a maioribus accepta-  
rum, & exercitatione benè viuendi, & progressio-  
ne vitae, quotidie magis magisque eminentium, omni-  
um, quibus cum viueret, studia & gratiam sibi con-  
ciliauit. Alios verò paulò actiores ingeniorum  
aestimatores, in spem maximam adduxit, & quem-  
admodum confiderent, & euentus postea iudica-  
uit verissimam, singularis alicuius præstantiæ, vnde  
si vita suppeditaret, plurimum præsidij, plurimum  
ornamentorum Resp. expectaret. Itaque quod id  
temporis Principum Domus exulantium & pere-  
grinantium

grinantium virtutum portus & perfugium putantur, ex sententia parentum in Aulam Ducis Clivensis &c. ad percipiendam omnem rationem humanitatis, imprimis vero ea quae essent propria rei militaris profectus est: In qua cum usque ad extremam pueritiam in maxima gratia Principis, in luce atque in oculis omnium, qui maximam virtutis & ingenij indolem in illo agnoscerent & amplecteretur, vixisset, omniumque de se expectatione virtute magis quam aetate superasset, a suis, ipsius consuetudine aegre carentibus, in patriam euocatus est. His fundamentis adolescentiae iactis: ut educeret inclusam virtutem ex umbratili exercitatione, in solem atque puluerem: quod res militaris doctorem usumque desiderat: annos natus duodeviginti, miles fuit Ioannis Lenkouitschij &c. duorum Augustorum patris & filij, consiliorum ministri, & in Slavonia, Coruatiæ & huic adiunctæ maritimæ oræ, extremis finibus, frequentibus Turcarum crudelissimorum nostri generis hostium latrocinijs & cædibus, rapinis atque quotidianis ferè excursionibus infestis, Imperatoris primarij: In quo tanta rei militaris scientia fuit, tanta præliorum secundorum copia, tanta in victorijs humanitas, ut ad omnia suæ memoriae durissima, diuturna, & quasi naturalia bella fœliciter & è salute Reipub. confienda, diuinâ quadam erga nos benescentia natus videretur: atque ut incredibile sit, quoties cum hostibus serum & manus contulerit, nūquam abiectus, semper

per victor : difficile etiam dictu ; vtrum hostes  
magis , fortitudinem illius pugnantis timuerint , an  
mansuetudinem victi , & in ipsius potestatem de= lati dilexerint : ut volet , quisque accipiat : Ego  
pro summa & officiorum & benevolentiae con= junctione , quæ patri meo cum ipso , multos an= nos fuit , liberè dicturus sum , quod sentio . Præ= clarorum multorum & maximorum ipsius in  
Rempub. meritorum commemoratio , nunquam  
intermittetur : nunquam memoria delebitur . Dum  
genus hominum , dum populi Carniolani & Cor= uatici nomen excabit (quod quidem sempiternum  
esse velim ) ipsius ad labores bellū industria , ad  
pericula fortitudo , ad usum ac disciplinam peritia ,  
ad consilia prudentia , ad casum fortunamque  
foelicitas : imprimis verò incredibilis quedam  
liberalitas , quæ homines , si hoc fas est dictu ,  
Dijs pares facit : reliquæ innumerabiles virtutes  
nominabuntur , & admonere nos debebunt , quò  
minus certa est & minus diuturna vita , hoc magis  
Rempublicam , dum per Deum Opt. Max. liceat ,  
frui debere summorum hominum , hoc est , sui , &  
huius , cuius res gestas adumbrare cœpi similium ,  
vita atque virtute . Huic , inquam , clarissimo homi= ni , & summo Imperatori , HERBARDVS Aur= spergius &c. abhinc annos triginta , operam dedit ;  
Huic sœpè ad periculum atq; ad aciem præstò fuit ,  
itinerum , periculorum , & victoriarū omnium co= mes , socius , atq; adiutor . Hicq; ei primus aditus fu= it , atq;

it , atq; ascensus ad cetera iactus. In quo multis  
signis fortitudinis, & singularis cuiusdam iudicij, sa-  
pè etiam suppeditatione consiliorum, omnium &  
maxime ipsius Imperatoris incredibilem, & vitæ ip-  
sius æqualem in se amorem excitauit, declarauitq;  
maiorum virtutis imitandæ voluntatem; item ab ex-  
cellenti eximiaq; virtute, progressum ætatis expe-  
ctari non oportere. Itaq; primum quinquaginta,  
deinde non ita mulò post centum delectis Equiti-  
bus præficitur: Maximo omnium studio, summoq;  
consensu: cum & ipsius commilitones lætantur,  
eiusmodi sibi Ducem constitutum, quo authore at-  
que magistro omnium quæ cogitarent, prosperum  
& felicem exitum sperarent: & reliqui Præfecti  
atque Centuriones gauderent, quod eo consilio=  
rum administro, periculorum comite, gloriae con-  
 sorte atque participe, multa se conatuos & per-  
fecturos considerent, ipsis præclara, Reipublicæ  
gloriosa, Nec eos fefellit opinio, vel potius cer-  
ta & solida ipsius virtutis expectatio. Nam cum,  
quid oneris suscepisset, quid de se omnes sentirent  
& sperarent, reputaret, & quomodo & ho-  
rum studijs atque votis respondere posset, &  
nefarijs inimicorum cogitationibus obsistere, dies  
ac noctes cogitaret: Venit ei in mentem, nulla  
te id , aut ad utilitatem prælarius, aut ad spe-  
ciem illustrius , fieri posse , quam si in fini-  
tas Turcarum Regiones , cum suis excurre-  
ret: hostesque antequam cogitarent, id accidere

posse, aut nec opinantes opprimere, aut paratos  
& armatos, vi ferroqueque disturbaret: quos sape minisset, excisionem, inflammationem, depopula=   
tionem, vastitatem, toti Prouinciae, tectis omnium  
atque agris, habitatoribus autem omnis fortunae ac  
loci, viris ac mulieribus, mortem & seruitutem cru=   
deliter intulisse. Impetrata igitur impunitate & pro=   
fectionis licentia, & capto consilio ad tempus, con=   
tractis tantis Equitum & Peditum, qui eadem sti=   
pendia meterent auxilijs, quanta ad id, quod in ani=   
mo habebat, conficiendum satis esse intelligeret, si=   
lentio in fines hostium inuadit, Serbumque opimam  
& fertilem Regionem, quocunque delatus est, aut di=   
ripit & depopulatur; aut cuncta disturbat & dissi=   
pat: vnaque excursione, paucis horis, totius anni fru=   
ctus aufert: cum ipsius aduentu ipso ac nomine im=   
petus hostium concursantium & iam coniuncto=   
rum repressi essent ac retardati, ob eamque causam  
habitatores inertes & imparati. vndique metu diffu=   
gissent: pecora, tecta, ac domos direptioni & incen=   
dijs reliquissent, arationes deseruerint. Re itaque ex  
voluntate & ad optatum prosperè & feliciter con=   
fecta, cæsis plurimis eorum, qui in adueniētem cum  
ferro inuaserant, pluribus etiam captis, magna vi  
pecoris abacta, victor & triumphans, omnibus  
suis saluis & in columibus rediit. Ob eamque rem,  
prudenter cogitatam, fortiter suscepit, & felici=   
ter perfectam, tanquam mercedem periculorum &  
primæ victorij præmium amplissimum, maximam  
est glo=

est gloriam apud suos, apud hostes autem existimatio-  
nem consecutus: Quæ dici vix potest, quantum  
in bellis administrandis, atq; in Imperio militari va-  
let. Constat enim sœpè inimicos, vt aut despiciant,  
aut metuant, aut oderint, aut ament, existimatione  
non minus famæ, quam aliqua certa ratione com-  
moueri. Trāfilio ante pedes posita: Omitto quoti-  
dianas hostium in Coruatiam & ea loca, vbi cum  
suis consideret irruptiones, ipsorum cædes, cogita-  
torum incendiorum, vastitatum & rapinarum, re-  
tardatos impetus, & multa alia in hostes machina-  
ta atq; molita. Illud silentio præterire non debeo:  
quod eandem viam inuidiosam & excursionibus  
barbarorum infestam, non ita longo interuallo re-  
petiuit & Regionem, vt iam dictum est, vbertate  
agrorum, & magnitudine pastionis excellentē, pe-  
regrinorum frequentia, & incolarum assiduitate ac-  
que opera, priori cultui restitutam, iterum inflam-  
mauit, & maiorem etiam, quam antea hostibus ca-  
lunitatem & timorem: Socijs verò lætitiam & diu-  
turne incolunitatis spem attulerit, vt ipsos hostes,  
metu perterritos, ipsius fortitudinis fama trementes  
conscientia multorum latrociniorum exanimatos,  
prouocasse ad pugnam pœniteret. Quos quotidie  
nouam aliquam pestem ipsius capiti, toti verò pro-  
vinciæ ferrum & flammam ac seruitutem minitan-  
tes, sœpè aduenientes, in ipsis vestigijs occidit: &  
progredi cupientes, à processu arcuit, & à reditu  
refrenauit.

Hoc eodem anno, cum Hostes perpetuis excus-  
sionibus & depopulationibus agrorum, omnia quo-  
cunq; inuaderet crudeliter vastarent atq; diriperet,  
vt vlcisceretur ipsorum crudelitatem & Reip. iniua-  
rias, accitis & aduocatis suis & aliorum Ducum co-  
pijs, omnibusq; ad constantiam, quamq; sua sponte  
erecti essent, cohortatis atq; incensis, Vduignā, mu-  
nitissimam arcem hostium, perfugiū & receptacu-  
lum prædarum, ex nostris fortunis crudelissime ca-  
ptarū improviso oppressit, atq; ab hostibus partim  
dispergit ac dissipatis metu, partim vi atq; ferro tru-  
cidatis, desertam & derelictam, incendit atq; diripi-  
it, agros peruestauit: plurimos hostes in profectio-  
ne, in redditu, & ipso ardore prælij occidit, plures et-  
iam secum in seruitutē adduxit: greges equorum &  
tantū pecoris abegit, quantū milites onusti præda &  
armis abripere potuerūt. Domū cum suis vltor no-  
strarum iniuriarum & omniū quæ cogitauerat con-  
fector reuersus, æqualē prædæ partitionē instituit,  
& suos, vt se paulum reficerent, cū bona gratia di-  
mittit. Rursum non ita multò post ad oblatā occasio-  
nem eadem arma sumpsit, & idē iter instituit, maio-  
re & sua gloria, & hostium cæde atq; pernicie. Om-  
nino quamdiu huic muneri præfuit (præfuit autem  
annos duos) non defugit, quotiescumq; se obtulit oc-  
casio subire aspectum hostiū, & cum ijs vitæ pericu-  
lo cōcertare neq; dubitauit vitā, quam populi Cor-  
uatici & suorum votīs, precibus & optatis, in tot  
dimicationibus retinuisse, pro ipsorum libertate &  
salute

salute in extremum discrimen adducere, atq; adeo  
sæpè ad non dubiam mortem concurrere.

Cum autem hæc ipsius facta Reip. utilia, ipsi  
præclara ad laudē latere non possent, & in luce col-  
locari vellent: Cæsar qui considerandum sibi puta-  
ret, etiam si ipse nihil postularet, sola gloria, mercede  
aditorum periculorū contentus, quantū ipsius vir-  
tutibus & meritis deberetur, eum Segniæ præfici iu-  
bet, vrbemq; olim clarissimam, & nunc ab hostibus  
vndiquaq; circuſeſſam ipsius fidei & custodiæ com-  
mittit. In qua dñi quinq; annos amplius, maxima om-  
nium ordinū approbatione, & iudicia æqualiter &  
rem militarē fortiter administrat, sæpè hostibus illi  
Vrbi & suo nomini maximè & animo & armis in-  
festis, armatus occurrit: Sæpè Vrbem omnemq; ad-  
iunctam oram maritimam impendente seruitute, &  
sæpius ei minitata flamma & excisione, & celeritate  
cōſilij, & armis atq; Imperio, præcipue verò foelici-  
tate propria sui generis atq; seminis liberauit: Sæpè  
suis cōmilitonibus, frequentibus barbarorum  
cædibus, & fortitudinis opinione atq; fama clariss:  
in propinquos hostium fines excurrentibus & co-  
mitem & Ducem se præbuit, cumq; non abhorre-  
ret difficiles exitus, propter hostium multitudinem  
& Regionis naturam, vt suo honori, suorumq; salu-  
ti non deesset, quorum votis sentiret, se à morte  
sæpè esse reuocatum, alacri animo & læta-  
bundus eò profectus est, vnde se redditum non  
existimaret, Denique sæpè ipsius consilio, arma  
sunt,

suht, aut posita, aut suscep<sup>t</sup>, aut illata, vscq ad eō, vt  
nemo esset, neq<sup>b</sup> Ciuis, neq<sup>b</sup> Peregrinus, qui ei non  
vt parenti gratias ageret: qui non ipsi vitam suam,  
liberos, fortunasq<sup>b</sup> referret acceptas: & quod ma-  
ximē facit autoritatem & fidem, est ei decedenti,  
Vrbis ab incensione atque interitu conseruatæ, &  
Ciuium ab internecione & seruitute defensorum,  
& vocis & memoriar<sup>e</sup> testimonio præconium im-  
pertitum, & pro tantis ipsius in Remp. meritis, gra-  
tiæ actæ & relatæ.

Deinde, quod virtutem necessariò consequi-  
tur gloria, propter multa, liberaliter, iuste, humani-  
ter, fortiter, cogitata, decreta, & in communem vti-  
litatem allata, Cæsar is & omnium ordinum iudicio,  
Prouinciæ Coruatiæ, & totius ei adjunctæ oræ ma-  
ritimæ Legatus electus est, hoc est, summi & com-  
munis Imperatoris Lenkouitskij gloriæ socius, con-  
siliorum consors, & Imperij Vicarius atq<sup>b</sup> admini-  
strator: quæ maxima est & latè patens dignitas: ad  
quā non nisi præstantibus & ingenio, & vslu, & ex-  
ercitatione rerum viris, & in inferioribus honorum  
gradibus cū laude versatis, aditus patet. Hic autē &  
ob alia per multa, & in primis quod in potestatibus  
præter cæteros gloriari spectaret, & non mercatu-  
ram quandam vtilitatum suarum, quodq<sup>b</sup> omnes  
magnam spem haberent communis salutis priuata-  
rumq<sup>b</sup> rerum in ipsius fortitudine, & erga Remp.  
omnibus perspectissima benevolentia, dignus est  
iudicatus, ad quem in uitum & recusantem, hoc ex-  
tra or-

tra ordinarium & maximum Imperium deferretur.  
Quod ipsorum de se iudicium, in ipsa ingressione  
atq[ue] primo aditu, magna ipsius gloria, & omnium  
ordinum gratulatione comprobauit. Nam cum pa-  
ter meus, Cæsaris beneficio Eques, & Consiliarius  
& id temporis in Prouincia Coruatiæ, Tribunus  
Ærarij, Vuihatshium oppidum duarum horarum à  
Turcarum finibus distans cogitaret: militibus diu-  
turnis prælijs & propinquitate barbarorum, & ex-  
pectatione solutionis, mutilatis, exanimatis atq[ue] ex-  
haustis, promissa, decreta & debita stipendia per-  
soluturus: Quod autem sine ipsius & publicorum  
præfidiorum comitatu tutò eò peruenire non pos-  
set, & vna proficiisci non recusauit, & postero die  
ad repentinum improvisumq[ue] nuncium, aduentan-  
tium hostiunt arma sumpfit, relictoq[ue] ad Urbis cu-  
stodiam satis firmo præsidio, cum reliquis copijs ho-  
stibus, quos in arcem Sluniam, iam cum ferro inua-  
sisse intellexerat, obuiam processit, eosq[ue] incensis  
tectis, depopulatis agris, plurimis omniū ætatū & vi-  
nis & mulieribus crudeliter trucidatis, plurimis item  
vincitis atq[ue] constrictis, victores, & paulò post, alijs  
finitimis arcibus eandem crudelitatem & seruitutem  
inferre cogitantes, imparatos ad pugnam offendit,  
omniaq[ue] circumspiciens, ne quid offenderet, ne quod  
imprudens irrueret, instructa ad aspectum & ad fir-  
mitatem acie, cum his numero superioribus, sed  
spe rapiendi atque prædandi dissipatis, ad DRES-  
nikum ita contendit, ut eis oram prædam, de no-

stris per scelus & iniuriam captam eriperet: multos occideret, plures etiam caperet. Omnino ad ducentos, duobus tantum suis ex prælio desideratis. Ad vesperum rursus ad oppidum, unde profectus erat, summa cum gratulatione Giuum & lætitia rediit: ipse lætus, gratias etiam agens Deo Opt: Max: quod ipsius & suorum opera, & tecta incensione, & agri vastitate essent liberati atque defensi: habitatores vero & mortis interitu, & crudelissima atque fœdissima seruitute: Cuius non solum euentus atq; perpessio, sed etiam conditio & expectatio, indigna homine Christiano & libero est. Hoc acerrimum prælium, & ad memoriam nostrorum virtutis præclarum, suppeditatione consistorum atq; præsentia Illustrium & nobilissimorum Iuirorum Nicolai & Francisci de Frangepanibus, Comitum de Tersaz & Slun &c. Item Francisci Vrsini, Comitis de Blagai, & Maximiliani à Lamberg, id temporis Consiliarij pacis & belli, item patris mei Tribuni Ærarij: & horum omnium interuentu initum, & Dei beneficio victoria terminatum est. Præda item, iudicio sapientissimi Imperatoris æqualiter distributa, & milites ad reficiendum se dimissi.

<sup>647</sup> Post aliquanto ad Coragnissas castra habens, cum vicinorum hostium frequentes conuentus, scelerata consilia, & nefarios conatus, nihilq; eos dies & noctes, quam de suo & ei commendatæ Provinciæ exitio cogitare intelligerer, atque ex Speculato=

culatoribus, quos maximis præmijs inter medios ho-  
stes aleret, certior factus esset, hostes in animo ha-  
bere, ad PERGNAM Arcem, cum exercitu ac-  
cedere, eamque omnem Regionem ipsorum more  
diripere, incendere, depopulari; habitatores omnes  
sedibus & possessionibus pellere, ipsorum aduen-  
tum expectantes, & improuiso oppressos; aut re-  
pugnantes occidere, aut captos comprehensosq; in  
sempiternam seruitutem & vita redimendam ad-  
ducere. Ad hos vetos nuncios & rumores sub-  
sequentes, Vir non minus ad coniecturam rerum  
futurarum sapiens, quam ad propulsandos hosti-  
um conatus diligens & fortis, quanquam im-  
pediretur, & paucitate militum, quod reli-  
quæ copiæ ad tempus adesse iussæ, nondum  
aduenissent, & contraria nonnullorum, qui à  
dimicatione abhorserent voluntate; Primum ut bo-  
ni Imperatores certamen inituri solent, suos diffi-  
dentes, & nonnihil tergiuersantes confirmauit.  
Deinde ne quid offenderet, & magis de suorum ho-  
nore & periculo, quā de sua salute solicitus, trigin-  
ta delectos velites hostibus obuiam prodire iubet,  
eosq; aduenientes & in se incitatos, cōfidenter ado-  
riri. Seſe cum reliquis totidem (aliorum enim expe-  
ctatio periculosa erat) à tergo eorū vestigia ingreſ-  
ſionesq; persecuturum, eorumq; saluti ad aciem,  
vel potius ut ipſe confidebat, ad victoriam præſtō  
futurum. Hi dicto audientes, & paululum progres-  
ſi, in hostes expeditos in equis, ferè ad septingentos

mostro more instructos & occultatos, ut de impro-  
uiso in nostros impetu facerent, insperato incidente:  
Initio perturbantur ipsorum aspectu & numero,  
insistunt tamen, & se se inuicem intentis & ardenti-  
bus oculis aspiciunt. Interim Dux cum reliquis ad-  
uolat, & eminus coniectione telorum, initium  
configendi cum hostibus facit, ipsis numero im-  
par, animi magnitudine superior: Eosque ip-  
so eius aspectu & nomine perculfos, & ad tor-  
mentorum coniectionem fundentes vastos & im-  
manes sonos, in fugam se conferre cogit: acriter  
insequitur, multos nobilissimos eorum Præfectos  
& Lanistas cædit, centum & quinquaginta ferè ca-  
pit, & imprimis eorum ductorem, magni nominis  
Centurionem Poturueliam. Reliquos turpiter fu-  
gientes, quod offensionem periculoſam videret, re-  
linquit: potiusq; mediocri, gloria tamē victoria  
contentus esse voluit, quam cupiditate insequendi,  
& inuidia loci hostium occultatoris eam amittere,  
ac se suosq; commilitones, discriminum periculo-  
rumq; comites, morti sine causa offerre.

Interim pater meus, magno auri pondere coa-  
cto ex publicis exactionibus, iussu Lenkouitshij &c  
ad quem paulo ante Imperium militare à Cæsare  
erat delatum, in Coruatiā adcurrit. Conferunt  
sermones: communicant consilia: stipendia mili-  
tibus decernunt, & quia via latrocinijs barbarorum  
esset infesta, coniunctim Bihatshium proficiscun-  
tur. His se comitem adiunxit HERBAR DVS  
Aursper-

Aurispergius, Lenko uitshio charitate filius, dignitate  
congiliorum adiutor, voluntate periculorum Co-  
mes Ad vesperum subsidunt ad Zetinum, & pro-  
pter inopiam tecti, in Monasterio, quod est sub-  
ter Arcem pernoctant. Postero die, antequam illu-  
xisset, à Slunio aliquot tormētorum crepitus exau-  
diunt, conīciuntq; aduentare vel potius adesse iam  
hostes: Continuō omnes cohortes, ad nutum Im-  
peratoris præsentis congregantur, paulò post in-  
aciem dimicationemq; venturæ. Comes Slunius de  
suorum salute & incolumente solitus, ad Lenko-  
uitshium adit, deprecaturq;, vt cum suis velitibus  
hostibus obuiam prodire possit, & incitatos ipso-  
rum impetus quantum liceret retardare, atq;, quod  
misericordia ductus maximè cupiebat, suorum, ini-  
micorum telis & iniectis ignibus appetitorum vītæ  
& fortunis subuenire. Quod ei summo studio & cu-  
piditate petenti non est denegatum, & datum etiam  
ipsius salutis causa negocium Aurispergero &c. vt  
cum trecentis equitibus eum à tergo subsequeretur:  
eiq; & ad periculum & ad victoriam præstò esset.  
Qui dum Comitis vestigia persequitur, ipsiusq; as-  
sestatores cupidius hostibus de superiore loco in ip-  
sos illatis obstantes, & partim iam hastis trāfixos,  
partim vincitos constrictosq; conspiceret, acri ere-  
ctoq; & vultu & animo, cum suis in armatos & iam  
victores hostes se immittit: nostros ipsius aduentu  
recreatōs, cunctantes & diffidentes excitat: Hosti-  
bus verò, spem exploratæ victoriæ adimit. Eripit

etiam sexaginta nobiles viros vincitos iam , fortunisq<sup>e</sup>  
omnibus crudeliter spoliatos, gladiosq<sup>e</sup> in nostroru<sup>m</sup>  
**capita** distractos, & iugulis ipsorum reiicit, ipsorumq<sup>e</sup>  
**coniuges** atq<sup>e</sup> liberos, & flamma ferroq<sup>e</sup> liberat. Mu<sup>l</sup>  
tos in acie interficit , & in primis ipsorum Ducem,  
**Aliam** Dumlianem , & gratia apud suos insignem,  
& multis crebrisq<sup>e</sup> nostroru<sup>m</sup> hominum cædibus no= bilitatum, Postea interuentu Lenkouits hij quem ho= noris & suppeditandorum consiliorum causa co= mitabatur Pater meus, maiore etiam cōtentione pu= gnatum est. Capti centum amplius , sumptaq<sup>e</sup> sup= plicia de audacissimis hostibus, atq<sup>e</sup> nostroru<sup>m</sup> mor= tes, inimicorum sanguine & cædibus expiatæ.

Pace postea inter Cæsarem & Turcam sublata, denunciato etiam atque indicto vltro citroq<sup>e</sup> bello: cum iam & literis speculatorum, & sermonibus omniū allatum esset, Regem Turcarum furentem audacia, pestem toto orbi nefariè molientem, Pa= rietinis autem Pannoniæ, ferrum flammamq<sup>e</sup> mini= tantem. cum maximo exercitu , suo more, hoc est, superbiis: delectu & durissima conquisitione col= lecto cogitare in Segethum , & propinquas finiti= masq<sup>e</sup> arces, quorum incolumitas & interitus, ex Se= gethi salute & exitio penderet, cōferre pestem illam, quam in reliquias Vngariz, atq<sup>e</sup> adeo in vniuersam Remp: Christianoru<sup>m</sup>, iam diu machinatus esset: & iam Bizantio profectu, progressum esse multorum dieru<sup>m</sup> viā, & vndiq<sup>e</sup> tota Mœsia & adiuncta Panno= nia, munitiones viarum , & molitiones pontium ad=

trans=

transmittendas ipsius innum erabiles copias fieri.  
H E R B A R D V S Illustris Dux, Clarissimo  
Patre natus, Auo, maioribus: vt suo decori non  
decesser, salutiq; Prouinciae suæ fidei & custodiæ  
commendatae consuleret, atque adeò, vt hostium o=  
mnia cædibus & incendijs vastare cupientium, su=  
rorem ac tela vitaret: Primum dissipatas cohortes  
& Turmas ad se conuocat. Deinde Carniolæ pro=  
ceres ad præsidium coñiunis patriæ, & ad vicinorū  
fortunas conseruandas excitat. Ostendit nisi cala=  
mitate docti diligenter prouideat, ipsis easdem belli  
iniurias impēdere, ob eamq; causam oēs concurrere  
debere ad cōmune acerbissimū incendium in Chri=  
stianos homines excitatum & iam opinione magis  
dissipatum, & extinguedū. Deniq; exorat vt sibi ad  
quācumq; fortunā & victoriae & calamitatis præstō  
elle velint. Frequentes conueniunt, in primis ipsius  
duo fratres, eiusdemq; generis ac nominis, Ioannes  
Aurspergius, Baro in Schonberg &c. & Cæ. gratia  
& ipsorum virtutibus & rebus geltis præstantissimi:  
Illustris itē & re & nomine Barones Turriani, pater  
meus, permulti alij, quos vt ipsorum dignitas postulat  
honoris causa nomino, & breuitati studēs, & quod  
res est omnibus perulgata atq; nota prætermitto,  
libenter autem omnes de patria optimè esse meritos  
idq; & tum & sæpè alias abunde re ipsa com=  
probasse fateor. Cum his de salute patriæ fortunisq;  
deliberat: Propinquū ipsis intericū nisi occursū sit,  
denunciat; Laborē in patria defendenda præcipue  
suum

sum esse : Studium vero ipsius conseruandæ, &  
ex propinqua & imminente seruitute vindicandæ  
commune ei cum illis esse debere. Itaq; de commu-  
ni sententia constitutam est, vt occasio diuinitus ob-  
lata, non dimitteretur. Omnes vna voce liberaliter  
spondent inseq; recipiunt, se se omnes belli & itine-  
ris iniurias libenter cum ipso subituros, dummodo  
ipsorum periculis tantum detrimenti, quantum Dei  
immortalis ope & auxilio confidere t hostibus in-  
ferretur, & ( quod plurimum potest ad arcendos  
inimicos) nostrorum animi iacentes, expectatione  
meliorum euentorum erigerentur. Cecidit autem  
percommode, vt antequam digredierentur, perfuga-  
quidam ab Vduigna à suis refugeret, & ad Ducem  
de quo verba facimus, deuolare, eiq; aditum se in-  
Arcem Vduignam patefacturum, si se audiret,  
policeretur, saluis & incolubus suis, eorumq;  
omnium interneccione, qui ad Arcis custodiam  
escitantes & semisomnes excubarent. Addidit  
præterea, se libenter voluntariam mortem subiturū,  
suumq; corpus omnibus cruciatibus præbiturum,  
( nisi quid grauius impediret ) si aliter euenisset  
atq; putatum esset. Præmij & mercedis loco, nihil  
aliud postulat, quam ut ipsius multarum iniuria-  
rum, nostris hominibus multos annos illatarum  
obliuisceretur : seq; diuino afflato è tenebris falsæ  
religionis, in lucem veræ atq; adeo in cœlum reu-  
catum, nullamq; prænam suorum delictorum de-  
precantem, in gratiam reciperet. Inducit virum  
fortem

fortem & paratum ad pericula, in quibus patriæ &  
suorum salutem inclusam esse sentiret, ut rem sibi  
gloriosam, hostibus (si spē euentus non falleret) per-  
nitiosam, fortī animo magnoq; susciperet, & ante-  
quam aggrederetur, ficeret præparationem dili-  
gentem, nihilq; prætermitteret, quod sibi ad tam  
præclarum & tam difficile facinus, absque periculo  
conficiendum, expedire intelligeret. Itaq; & Duces  
& milites, voluntate inter se similes, Dei Op. Max.  
præsidio confidentes, & tam præter optatum, sed  
valde ex voluntate oblata occasione læti, dant se in  
viam. Pernoctant in Sauolie, quod duarum hora-  
rum à Vuihatshiq abest, & totidem à Repitsia ar-  
ce. Postero die, iam in fines hostium ingressis, oc-  
currunt nostri homines, qui & ipsis & iumentis  
si progrederentur, maximum periculum imminentem  
denunciant: Quod montium asperitas, quos vulgo  
hortos diaboli nominant, propter aquam conglaci-  
atam frigoribus, niuiumq; de cœlo cadentium alti-  
tudinem, viasq; immunitas, densas atq; asperas, abs-  
que maximo vitæ & prolapsionis discrimine, tran-  
scendi non posset. Hic vir constans, & qui diutur-  
na perpetione incommodorum, sensum omnem  
doloris & periculorū amissit, insistit: & diu mul-  
tumq; dubitans vtrum melius esset, progredi an re-  
dire, cogitatione eorum quæ ipsis, peregrinas, syl-  
uestres, & inusitatas vias indagantibus, anni tempo-  
re duro accidere possent acerba, ē cursu reuoca-  
tus est: suorum etiam voluntate, qui utilius esse  
situs

putarunt honeste cedere, quam spe inani & maxi-  
mam partem fallaci, in apertam perniciem incurrere.  
Ea ipsa die cum contentius ambularet, Repitshium  
ad vesperum rediit. Sed paulo perturbator: Diffi-  
cile enim est, quod cum magna spe efficiendi ingre-  
sus sis, id non exequi usque ad extremum. Ne au-  
tem omnino inanis & inglorius reuerteretur, unde  
cum magna omnium singularis alicuius victoriae  
expectatione profectus erat, posterum diem totum  
qui fuit festus Christo olim ex mortuis pro salute  
humani generis sempiternae morti & seruituti de-  
stinati, excitato, & consequentem noctem per hos-  
tium agros oberrauit, atque in LVSHZE Bos-  
nensis Imperij, tercentas amplius incolarum domos  
incendit, omnemque circa Regionem depopulatus est  
magna ipsius gloria magnaque hostium calamitate  
summo dedecore coniuncta. Hoc loco de Trans-  
fuga Simone Setshitshio, a quo commemoratum  
est spem diripiendae & inflammrandae Vduignae  
nostris fuisse iniectam, praetermittere non possum:  
quod videlicet antequam hostium castra & religio-  
nem, iudicio & voluntate relinqueret, cuidam  
Barbaro suo familiari, silentio negocium datum  
erat, ut eum ad se tecto ac domo inuitaret, & dis-  
cubentem improviso interimeret. Quod dum il-  
le occasionis tarditatem expectans, diem ex die dif-  
fert, eo laqueo, quem socio tetederat, imprudens in-  
dutus interiit. Setshitshius enim cui doleret, sceleris  
in se moliti memor, hominem, qui se & animo &  
oculis

oculis s̄epē ad cædem notauerat , sed ficto & ser=  
mone & vultu,id quod cogitaret, cœlantem fami= liarius appellat : ad prandium inuitat : Pranso poto, & nihil minus cogitanti ceruicibus caput ab scidit. Denique in castra A V R S P E R G E R I affert. Quo ipsius factō desideria omnium sui commouit, declarauitq; suam in fide permanen= da constantiam & perpetuam voluntatem . Idque multis postea hostiū cædibus, & ad extremū profu sione sanguinis comprobauit: Nam cum & vicino= ruim hostiū & longinquo rū, qui de ipso nihil præter auditum haberent odia, & omnium arma in se con= citasset, diu ipsorum effrenatum furorem, & acerri= mosatq; vndiq; in se intentos gladios vitare non po tuit: Neq; circumuentus ex insidijs, iniicorū cru= delitatem suo sanguine explere: Qui vt in calamita= te hominiis inuidiosi ac omnibus offensi, mores fe= ros, immanemq; naturam ipsorum ostenderent, ex= ipsius capite poculum confici curarunt, auroq; ad pompa in lacinijs vndiquaq; exornari, quod exta= ret ad memoriam ipsius in ipsos iniuriarū, & ipso= rum de ipso sumpti supplicij sempiternam.

Non ita multò post Cæsar Maximilianus &c. re & nomine omnium maximus & longè præstan= tissi: cum max: & fortissimo exercitu ex omnibus gentibus & nationibus, sua sponte & absque spe & cogitatione præmiorum ad ipsum confluentibus, in Vngariam proficiscitur, Item Carolus Ar= chidux Austriae &c. magnitudine animi & glorie

amore similis patris, Aui, Maiorum: comitatu vero  
omnium ipso dignarum virtutum superior: Pro-  
pter impendens bellum & genere ipso necessarium,  
& inaequalitate decertandi periculosem, omnes ex  
suis Provincijs, paulo paratiores atque exercitatores  
& in primis Proceres, atque delectam iuuentutem ac-  
cessit. Solis Carniolanis, vicinitate & propinquitate  
hostium, impendi maximo periculo proximis,  
benigne & comiter remittit atque concedit, ut in suis  
finibus consisterent: separatim vero Aurspergero  
Rempub. committit, & omni contentione animi &  
corporis prouidere iubet, ne quid detrimenti patia-  
tur. Carniolani itaque in Campum D. Bartholomei  
conueniunt, atque ibi triduum commorantur. Dein  
de Crucem versus castra mouent, nutum & impe-  
rium Aurspergeri &c. qui in ultimis Coruatiæ fini-  
bus, non procul ab hostium telis versabatur, expe-  
stantes. Cui de salute suorum, & de hostium perni-  
tie, diu noctuque cogitanti, optato est oblatæ occasio,  
Noui, arcis nuper ad Vnam ædificatae, frequenteribus  
hostium conuentibus celebris, prædonumque tutissi-  
portus, & perfugij improviso opprimenda. Ut au-  
tem commodius, & quantum fieri posset absque pe-  
riculo & internectione suorum rem conficeret, Pe-  
trum Erdeudæum Coruatiæ Præsidem, per literas  
coasulit, quid ipsi pro salute & existimatione com-  
muni faciendum esse censeret, & diem constituit at-  
que locum, ad quem si ei videretur, ex re & ex tem-  
pore, de toto itinere ac redditu filium capturi con-  
ueni-

uerirent. Itidem Iosephum Turrianum Baronem  
lectissimum, & bellicis laudibus abundantem, id  
temporis delectorum Equitum Carniolanorum  
Ducem, ad se accersit. Congregati in eum rationem  
& inuestigant viam, qua cōmodissimē possint per-  
ficere id quod cogitant. Ad Arcem destinatam  
direptioni & incendijs directō contendunt, eoq; de-  
lati, prælium cum hostibus aduersis ineunt, ijsq;  
partim fugatis, partim cæsis & vincit, certatum in  
oppidum cum ferro & flamma inuadunt. Arcis  
cuitodi ipso rumore & nomine timorem & despe-  
rationem iniiciunt: vscq; adeo, ut nostris ad portam  
præstō esset, spemq; deditioñis, si ipsius vitæ peper-  
cissent, faceret. Sed in hoc medio apparatu, Vfra-  
mus Hleunæ Præses (Barbari Begum appellant)  
Segethum, ad sui domini castra petens, forte eō cum  
octingentis sagittarijs, & ferè totidem velitibus de-  
latus est. Cuius aduentu & spe subſidiij, Præfectus  
arcis, desperans iā rebus suis, & qui paulo post adi-  
tum in arcem, nostris patefacere cogitaret, confir-  
matus est. Noster autem Imperator, occasionem  
Triumphi & Victoriae sibi diuinitus oblatam na-  
ctus, nequaquam dimittendam esse existimans, &  
suis, qui vthoneſtē cederet, consulerent, & eo quod  
perfectum esset contentus, se ac fuos in aliud tem-  
pus Reip. referuaret non paruit, & explorato loco  
vbi Begus cum suis subsediisset, selectis prius con-  
fidentioribus, & ad constantiam & spem certæ vi-  
ctoriae excitatis, eō cursim per medium flammam

tectorum incensorum contendit, atq; in Begum ar= matum quidem, sed tam repentinum nostrorum aduentum non expectantem, infestis signis infertur & ita vrget atq; instat, vt ante quam ipsius sagittarij ad exauditum impulsum scutorum & crepitū pla= garum accursissent, maximam partem Centurio= num & gladiatorum ( Delias illi vocant ) cæderet. Reliquos, omnino ad ducentos, in primis autem ip= sum Ducem nobiliss: inter suos, fortiter pugnan= tem, deiectum equo & grauius saucium, caperet. Quo tempore & equus quo vehebatur Begus, cum sella argentea magnifici operis & pueri symphonici, & ipsius muli atque tabernacula, omnia denique ornamenta, quae primarius Imperator, & idem de= licatus ad speciem & ad ornatum plurima circuige= stabant in ipsius potestate peruenierunt. Ipsum Be= gum multos menses comiter & honorifice, magis ut hospitem, quam ut inimicum, domi sue aluit. Po= stea quod & infirma valetudine esset, & senectu= te iam confessus, ad suos redire passus est: ac= ceptis pro missione & redemptione, tricensi millibus aureorum. Ob eam rem fortiter, fœliciter, prospereq; gestam, à Cæsare Maximiliano ipse, & Iosephus L. Baro. à Turri & Cruce, de quorum ingenijs ea iam est apud omnes ordines existi= matio, vt plurimum tribuatur ambobus, ampliss: & honorificentissimis verbis, collaudati sunt, & virtutis atque fortitudinis ergo, ad Equestrem dig= nitatem institutis solennibusq; ceremonijs sublati.

Ad quam non nisi præstantissimis, hoc est ipsorum similibus viris aditus patet, & plurimis atq; perspicuis fortitudinis exemplis ascenditur.

Paulo post, cum Præses Carniolæ discessisset ex vita, eamq; amplissimā sedē dignitatis atq; honoris vacuam nouo successori reliquisset, Archidux Carolus Austrius &c. Imperij gloria præstantiss; idemq; acerrimus ingeniorum æstimator: Cui recentia huius ornatiss; viri in Remp. merita magna & præclara, ante oculos versarentur: Haud ignarus quantum in illo esset animi, quantum industriae, eum potissimum delegit, cuius authoritatī, fidei & prudentiæ, Provinciæ sibi charissimæ & fidelissimæ curam & gubernationem committeret. Idq; maximo, omnium ordinum, generum atq; etatum consensu summa omniū gratulatione consuncto: Quod & in ipsis maioribus similiē dignitatē recordarētur & eo Rectore omnia quibus & bene & quiete vivunt sperarent. Nec eos fecellit expectatio. Quamdiu enim huic muneri præfuit, qui fuerunt anni nouem: nihil nisi magnum atq; amplum de Reip. salute & dignitate cogitauit. Atq; adeò omnia sua studia omnem & operā & industriā, deniq; quicquid habuit facultatis & virium, in eius conseruatione atq; amplificatione collocauit. Durior in suos, quam ipsis natura patereretur. Quas enim copias ijs relinqui & suppeditari æquius fuit, eas in communem utilitatem, proprijs rationibus ac commodis Patriæ salutem preferens, libenter prolixèq; contulit,

Qui=

Quibus singularibus & præclaris virtutibus se-  
ptus atq; ornatus, tantū suæ & prudentiæ, & amo-  
ris in patriam, omnibus bonis desiderium reliquit, vt  
dissimulatis & apertis votis ac præcibus aliquem  
ipſi & cognatione & moribus similem atq; parem  
ad eam dignitatem, non desiderent solum, sed etiam  
poscant & flagitent. Cum itaq; duorum munus ſibi  
vni commiſſum eſſe, & omnes nihil niſi præclarum  
atq; difficile de ſe expectare ſentiret: inſinuauit ſe  
in consuetudinem cuiusdam Turcæ, & gratia qua  
valeret apud ſuos, & celeritate confiliij qua multum  
noſtris officere poſſet, clari. Eumq; propositis præ-  
mijs, ex ſua arca non de pub:ærario de promptis in-  
duxit, vt ſpe prædæ & rapinarum alliceret ad ſe ex  
Kamengrado, Vduigna, Noui, Klutſho, Belaio, &  
propinquis locis ad octingentos Turcas, eosq; nul-  
lam perfidiam aut occultā machinationē de com-  
militone, & eodem itineris & periculorum Comite  
ſuspicantes, ad constitutum locum, nempē in Inſu-  
lam Bihtſam adduceret. Quo cum ventum eſſet,  
noſter hic Heros, qui comitatus duobus filijs le-  
ctiſſimis atq; ornatiſſimis adolescentibus, cum ſuis  
copijs, poſt imminenrem ei Inſula montem ſe ab-  
diderat, velitibus Coruaticis, ſtudioſe id contenden-  
tibus=ineundi certaminis potestatem facit. Hi cupi-  
dius ex ſpeculis defiliunt, atq; in præcipites & con-  
fuſos hostes, ita impetum faciunt, vt ipſorum pu-  
gnandi cupiditate & intempeſtiue commiſſa dimi-  
catione, extremis ſpacium profugiendi ſuppeditatū

fit. Qui autem institerunt, partim cæsi sunt, partim  
mortis & periculi metu, in aquam se abiecerunt. Re-  
liqui quorum vitæ belli fortuna pepercisset, vincit, &  
& comprehensi, circiter centum & quinquaginta,  
& ad redditum, antequam cœtus dimitteretur, pro-  
eiusq; merito ac dignitate, æqualiter & sine con-  
tentione distributi. Haec tenus perpetua quadam fœ-  
licitate usus est. Quam præstare de seipso nemo po-  
test; Deprecari à Deo Opt. Max. omnium bono-  
rum fonte & capite debemus. Omnia, omnia de-  
lata suscepimus ita confecit, vt nostri sæpè metu, &  
commeatus publici & priuati inopia perturbati, in  
ipsius oculis, vultu, atq; promissis acquiescerent, ex-  
pectationeq; remediorum sustentarentur. Hostes  
verò, ad ipsius nomen & aduentum adhuc longè  
distantis, terrore diffugerent; atq; non solum à suis  
nefarijs cogitationibus desisterent, sed etiam con-  
uentus dimitterent, præsidia etiam flagitosè ac tur-  
piter desererent. Sed nihil est in hac vita diu. Et ea  
est nascendi & humanæ naturæ conditio, vt nemo  
in perpetuū esse possit expers mali. Si modo mors  
malum appellanda est, quæ pro patriæ salute, pro  
nostra dignitate & maiorum amplitudine retine-  
da, conseruanda & augenda appetitur cum gloria.  
Nihil itaq; huic Heroi accidit, quod non & multis  
ante ipsum acciderit, & omnibus in lucem æditis at-  
que susceptis, quam diu hic ad momenta permuta-  
bilis status rerum permanebit, semper & ubiq; im-  
pendeat.

Constitutis deinde per interpretes pacis, aut  
Nuncios belli inducijs, Cæsar is iussu ab armis dis=  
cessum est, sanctumq; amissione capitis atq; famæ,  
ne quis in hostem contra ius feciale & fidem publi=cam,  
quicquā aut obscurè aut aperte cogitaret, aut  
moliretur. Non sunt tamen (ne hostibus, quibus &  
natura & voluntas & disciplina, sempiternam im=  
punitatem atq; licentiam, & neglectionem ius iurant=di affert, nimirum creditum videretur) omnia præsi=dia dimissa: Et recte. Hostes enim fidei pub. deserto=tes, magis ad vastandum omnia quo canq; sunt de=lati, quam ad fortiter vincendū natū, quotidianis la=trocinijs, prædis, rapinis, incendijs, trucidationibus,  
non clam aut dissimulanter: sed aperte & palam, ip=sorum insatiabilem crudelitatem atq; iracundiam,  
quæ nunquā ab illis discedit, in nostrorū vitas atq; fortunas exercebant: Et perinde ac si pax cum illis  
constituta, pactio esset servitutis, & ut illi putant, de speratio victorij, ita quotiescumq; ipsis esset com=modum, insultabant in nostros fines: incendebant  
tecta, omnesq; belli iniurias nostris crudeliter infe=rebat: & quod maximè est deplorandū, maximam  
partē, nostris militibus aut absentibus aut nihil eius=modi suspicātibus: Quod paci, sub qua omnes frau=dationes, omnes insidiæ laterent, confidarent. Cum itaq; simulatione pacis, interitum & occasum Reip.  
nostræ queri maxima nostrorū vicinorum itemq; nostra calamitate compertum esset: hostesq; natura  
& moribus perfidiosos & periuros, dies & noctes

per scelus & violationē publicæ fidei, de nostrarum  
prouinciarū exitio & pernitie cogitare: Concilium  
Murepontū indictum est, eoq; omnes ordines om-  
nium Prouinciarum Caroli Austrij &c. nostri hæ-  
reditarij domini, ad Id. August: adesse iussi: ut pro  
suo quisq; arbitrio, quid sentiret, & Reip. saluti atq;  
diuturnæ cōseruationi ocij atq; concordia expedi-  
re intelligeret, in illo coetu conuentuq; celeberrimo  
liberè & absq; cupiditate exprimeret: Omnino, vt  
de cōmuni sententia, principes & ad id delecti viri  
statuerēt, & de domeſticorū incōmodorum, si quæ  
aut in Remp. aut in priuatos erumperent curatio-  
ne, quid iudicarent: & de impendente patriæ ma-  
ximo periculo, vel potius interitu, quid existima-  
rent. Conueniunt frequentes ad diē ~~ad~~ Legati AR-  
CHIDVCIS &c. curatores & interpretes ipsius  
voluntatis, atq; arcanarum ipsius voluntatum con-  
fortes & participes, quibus etiam hic noster, vir-  
tutis & honoris caufa fuit adiunctus, in posterum  
diem aduocāt cōneionem. De omnibus rebus, quæ  
ad conseruationem & æqualitatem Reip. atq; iudi-  
ciorum pertinerent, ex Principis sentētia, & pro ip-  
sorum dignitate ac amplitudine elegāter & copiose  
referunt. Nec reliqua ampliss: aduocatio, aut decori  
suo, aut suorum de se expectationi non respondet.  
Omnes ordine & certatim sententias in cōmūnem  
vtilitatem afferunt. Præter cæteros autem hic orna-  
tiss: vir, potestatem nactus, liberè & suo arbitratu-  
dicendi quid sentiret (vt ipsum cum patre meo  
natus 10)

familiarius colloquentem commemorare audiui)  
cum alia permulta se digna , verborum elegantia  
& consiliorum varietate abundantissimus,tum illa  
in primis in medium attulit : Hostes nostra magis  
indulgentia, quam ipsorum virtute victores , infe-  
stos & arrogantes, quotidiè opinione latius sui Im-  
perij fines, per iniuriam & facinus proferre : atque  
adeo de reliquijs Coruatiæ, exitioq; militū in præsi-  
dijs collocatorum acerbè & crudeliter cogitare.  
Habitatores omnis fortunæ ac loci viros & mulie-  
res, repugnantes, crudeliter occidere : in seruitutem  
adductis, vincula sempiterna, & horribiles iracun-  
dia pœnas minitari : In quibus (quoc acerbissimum  
est) maximam partem eripitur etiam spes libertatis:  
quæ sola homines morti aut perpetuae seruituti ad-  
dictos consolare posset. Easdem omnium vitæ for-  
tunisq; vicinorum calamitates impendere. Quoti-  
diè in Coruatio, milites cæde misera, coniuges libe-  
rosq; acerbissima vexatione & seruitute, tecta &  
domos foedissima flamma , totam Provinciam va-  
stitate , & fuga incolarum interire ; & hæc omnia  
propter periculi communionem, à vicinorum vita  
atq; tectis longè non abesse. Hostes quorum cru-  
delitate omnis barbaria superata est , pacem non  
reconciliatione concordiæ , sed internecione no-  
strorum comprobare, ob eamq; causam Coruati-  
am cunctam aceruis corporum , & interfectorum  
sanguine redundare. Nos contra vlcisci quidem ho-  
stium victorias, sed maxima diminutione militum,  
& cala-

& calamitate publicorum fructuum. Incumbens  
dum itaq; esse, ad Reipub. in columnitatem, circum=  
spiciendæ omnes procellæ, quæ certò impendeant,  
nisi celeriter occursum sit. Hostium enim nefarios  
conatus opprimenti sustendando ac prolatando non  
posse. Deniq; si vel quid sentirent, liberi decernere  
non auderent: vel, quod salutis omnium causa de=  
creuissent, non subitò cum spe magna institutum sit  
& constanter prosecutum vsq; ad extremum, futu=  
rum esse (nisi Deo Opt. Max. prouideat) ut pau=  
lo post, patriam iisdem tempestatibus agitatam &  
factatam, cum dolore aspiciant: & periclitanti, ita ut  
cupiant & velint, subuenire non possint. Sece &  
pro ipsius debito, & pro malorum quæ impenderet  
magnitudine, omnem contentionem animi & cor=  
poris adhibituru, vt appareat, ipsum sibi non par=br/>cere, atque adeo de seipso cogitare desinere, & om=br/>nes cogitationes, omnes neruos & præmiorum &  
annuorum fructuum ad conseruationē sociorū &  
Ciuiū conserre. Quanq; nullus ei, abhinc xxx. an=br/>nos amplius, dies vacuu s mortis periculo atq; insi=br/>dijs fuit: multò tamen alacrius in posterum, & quā  
diu vita suppeteret, omnia belli incommoda subitu=br/>rum: omnes periculorum tempestates, pro Reipub.  
dignitate, & pro salute patriæ aditurum: Omnino,  
si se aliqua vis insperata & repétina hostium (quod  
sibi omnibus horis eam vitam ingresso immineret)  
oppressisset, suo se muneri & expectationi de se sa=br/>xis facturum, aut morte aut victoria. Interim dum

Hæc disputantur, ex domesticis scriptoribus ac numeris intellectis, quinque præcipuos hostium Duces, quos illi Begos vocant, in unum conuenisse, & ad eos quotidie maximos delectæ inuentutis, ex intima Bosna concursus fieri. Aliud eos machinari: Aliud specie & simulatione ostentare. Illud certò sciri, tantam & tam diu collectam hostium multitudinem, in reliquas Coruatiæ arces, ipso rumore ac suspicione belli, magnam partem desertas atque derelictas erupturam. Hæc & horum similia, non pertenuibus vestigijs indicijsq; patefacta, sed aper-  
tò suspicionis introitu, ad omnes intimas hostiū cogitationes, subtiliter & eleganter, cū sensu etiam quodam doloris ac desiderij, in Senatu exponit. Omnes quotquot adfuerunt, ad communes fortunas conseruandas, & nostris propediem imminens acerbissimum incendium restinguendum excitat. Ad extremum docet sese totam Bosnam armatā, effervescentem in Coruatiā atq; erumpentem, ægrè repelle-  
res, & cœrui cibis suis interclusam sustinere posse. Il-  
lud constanter, liberaliter & prolixè affirmat: Se aut suo periculo salutem Reipub. afferre cupere; aut si aliud diuinæ voluntati videbitur, sanguine suo, explore odium inimicorum: hoc est, testificandæ suæ in patriam, perpetuæ atq; debitæ voluntatis, extremum spiritum in acie effundere. Itaque cum longior expectatio, & vel paucorum dilatio dierum, multum nostris effectura, & hostiū cogitatis iam in actum erumpentibus, plurimum profutura vide-  
tur.

retur: quod breve tempus, longum esse solet impa-  
tis: & hora affert, vel momentum potius, nisi pro-  
uisum est, magnas s̄ep̄ clades, omnium sententijs  
decernitur, ut maximis itineribus, in Coruatiam ad  
dimissa, & metu impendentis belli exanimata prae-  
sidia, contendere. Ille, quanquā se in discriminē ca-  
pitis mitti videret, idq̄ in digressu longius quām hu-  
mana ratio patitur, animo prospiciens diuinaret;  
tamen qui Senatui patere didicisset, suisque, ipsi-  
us consuetudine molestè carentibus, succurrere  
cuperet, nihil expectans, nihil tergiuerans, sine  
recusatione, ac sine villa mora discedit: & duos  
tantum dies domi apud suos commoratus, dat se  
in viam. Postero die Fraieturnum, vbi instru-  
menta & suppellec̄tilem haberet, mature perue-  
nit. Continuò ad omnes reliquos Duces, Præfectos  
& Centuriones, quid in animo haberet, & quid eos  
facere vellit, quām diligentissimē perscribit, ad-  
monetq; vt & sua sponte, & ipsius hortatu, ad ar-  
ma properent, expediti q; sint, vt postridie ad Bu-  
dathscam arcem, armati conuenire, & ad omnem  
eventum cum eo se coniungere possint. Ipse cum  
suo comitatu ad summam quinquaginta homi-  
num discedit, nihil affirmans, multa quærens, omnia  
timens, animoq; reputans, & exiguitatem suarum  
copiarum, & multitudinem hostium, cum quibus  
paulò post aut max. periculo totius Reip. decertan-  
dum esset: aut nomen Imperatoris relinquendum.  
Denique animo & vultu perturbatior, quam ipsius

con-

consuetudo ferebat: vt ad mortem inuitus trudi vi-  
deretur, atq; eō proficisci. vnde se redditū non pu-  
garet. Vesperī xi. Cal. Octob. ad Tushillouichæū  
nobilem & cognitæ virtutis hominem diuertit. Ta-  
bernacula tendi & collocari iubet: Præmia etiam  
proponit ijs, qui tecta relinquerent, armatiq; in vi-  
cinis montibus, vnde cōmodè aduenientes hostium  
copiæ, & à tergo incensarū villarū ardores conspici  
possent, sic excubarent, vt ei, donec omnia equitum  
& peditū accersita auxilia conuenissent, nihil impro-  
uisum posset accidere. Cum autem nihil de hostium  
confilijs vñq; afferretur, neq; nuncijs neq; rumorib;  
bus, incoenatus cubitum discessit: vehementer, non  
de sua quidem vita, sed de Reip. incolumentate, & si  
quid ei humanitus accidisset, calamitate sollicitus:  
vñq; adeò, vt sentiens curam ipsius defendēdæ, apud  
se vnum excubare, nullam partem caperet quietis:  
Omnemq; spem & vitæ & mortis, in diuina voluntate  
reponeret. Ne autem in tanto periculo, sibi &  
suis omnibus pposito, aut prudenter declinādo, aut  
fortiter propulsando indormiret, quodq; quasi  
præfagiret, hostium insperatum repente mō aduen-  
tum, imperat, vt nocte intempesta, omnia ad futu-  
ram pugnam necessaria, præstō parataq; sint. Su-  
git ipse ante lucem, & primo diluculo inambulans,  
crepitum tormenti inaudit: In Equum, Domini fu-  
turam calamitatem præsentientem, ob eamq; cau-  
sam retrectantem, celeriter & semiarmatus ascen-  
dit. Filium minorem natu, VVOLFGANGVM

Engel-

Engelbert: quem pridie cogitato maiore natu Christophoro, in quo summa elucet virtus singularis pie tas, prudentia, seueritas atq; iusticia, prouinciae sibi commendatae Vicario constituto, qui mortuo etiam patre in eo ipso honoris gradu per literas Archiduci confirmatus est, domi relicto ad periculi & ad victoriae societatem acciuerat, cunctantem, & equi etiam quo uehebatur trepidatione, non nihil com motum, ad spem & æquitatem animi extollit; iubetq; esse sine cura, & à suo latere nusquam discedere: aspectum etiam hostium non perhorrescere: Mor temq; (si Deo Opt. Max. visum sit, eum euocare ex vita, & gladijs ipsorum interire) non defugere, sed lætū atq; gratias agentē oppetere cum gloria: Nihil n. interesse. siue retrectes siue propes, moriendū omnino esse. Reliquos comites, F. V. ueixlberg. Iu: Zaram, & Danielē Tethauiu, nobiliss: Duces, & fortis: homines, itemq; cæteros assectatores & pedisequos sua sponte, & ipsius præsentia animi erectos, excitat tamen & in spem victoriae inducit: aut si pro patria vna cum ipso fortiter occumberent, sempiternorum, & æternæ vitæ præmiorum. Tum duo patria iuuenum delegit, quos max. sibi confidere existimat, & quibus breuiores & recōditæ viæ, vt vni cuiq; sua domus, notæ essent: eosq; præcurrere iubet, rumoresq; excipere, & celeriter ad se referre. Ipse cum cæteris ad eos contendit, qui dispartiti erant in speculis, vt hostium aduétum significarent, aut denunciatione, aut sublatis ignibus. Sed reuo-

Cauerunt eum ē cursu, nescio qui ignoti homines: inuitum quidem & multa suspicantem: tamen reuocauerunt, qui paucos hostes, incitando rū nostrum ad dimicationem causa consultò antegressos conspexerant. Cum his, summus Imperator, multa quidem de ipsorum extremis comitibus cogitans, & item suas copias mox aduolaturas sperans, manus & ferrum ita contulit, vt & eminus coniectione telorū, & cominus gladijs multos occideret: reliquos iterum & tertium fugaret, auerteret atq; repelleret. Interim reliqua hostium multitudo, omnes solitudines persequitur, omnia diuerticula omnesq; flexiones querit, ne à nostris ex speculis, ipsorum vestigia ingressionesq; animaduerti possent, & tandem imperfectis in itinere quatuor illis superius com memoratis, ad initum certamen atq; ad cædem suorum adcurrit. Primum ad conspectum nostri Dacis fortiter pugnantis insistit. Deinde immanibus & inconditis sonis editis, vndiquaq; in eum impetum facit. Neque tamen fortissimus vir animum dimittit: aut suæ filijue salutis cupidus refert pedem, sed in vestigio, in quo postremum institit, forti animo magnoque consistit, & sanguine inimicorum respersus, Reipublicæ quam suam vicem magis tacitus deplorans, in medios hostes cupidissimè infertur: atque à fronte, à tergo & à lateribus circum septus, hostium plagas ipsius vitam maximè appetentium, fortiter & expectat & declinat. Omnino magnam in se vim & incredibilem animum

animum, & non vnius hominis vires indicat: Cum  
que nullum telum frustra coniiceret, duos Nobis-  
lissimos Centuriones, vel potius teterrimas besti-  
as, præter cæteros in se exultantes, ad necem vul-  
neratos de Equis deturbat. Quorum vicem, &  
ipsum tantum scutorum, pilorum, gladiorum, in  
se vnum intentorum, tam diu sustinere, ægrè  
ferens quidam primarius D E L I A, Bego Bos-  
nensi gratissimus, à tergo in ipsum, multorum vn-  
diq; telis appetitum, cum ferro inuadit, eiusq; Equū  
defatigatione iam deficientem & præcipitatem im-  
pellit, & ita ferit, vt paulò post concideret, om̄ne m̄q;  
ei defensionis facultatem adimeret. Hic confiden-  
tissimus vir, cum iam omnes adhuc speratæ salutis  
vias præclusas esse videret, hostem inimicum & na-  
turæ & humanitati nequam interfectorum Equi,  
pedester interimit. Cuius desiderium, & ante ocu-  
los cædem, indignè ferens & vlcisci cupiens, seruus  
fidelis & spectator Domini necis, eum è manibus  
eorum, qui ipsum in conspectum Begi viuum ad-  
ducere accelerarent, & inter se de gloria contendea-  
rent eripit; caputq; nihil magis cupienti, quam ef-  
fusione sanguinis, suo decori satisfacere, seruitu-  
risq; acerbissimas iniurias effugere, præcidit. At-  
que non modo de impunitate, sed etiam de præ-  
mijs cogitans, ad Begum in tabernacula desert. Qui  
(si multis ita referentibus credatur) tanta & tam  
insperato oblate victoria exultans: tam verò  
Illustris, & vt ipse existimabat, aut deserti,

aut prodiit Imperatoris, quem viuum ad speciem  
Triumphi, sibi præferri concupierat, acerbissi-  
mam mortem, molestè ferens, hominem si-  
bi, ceteroqui charissimum, quod vitæ ipsius  
non pepercisset, ad memoriam audaciæ sempi-  
ternam, adque indignitatem facti testificandam,  
occidi iussit. Sed id verum ne sit an securus, parum re-  
fert. Ego auditum à multis, non commemorare non  
debui. Reliqui mortui Ducis comites & ministri,  
partim cum gloria in acie occiderunt: partim inuiti  
& multum repugnantes capti sunt. Inter quos est  
ipsius filius, cuius antea meminimus, annos natus,  
ad summam xx. & duos. Qui oblitus infirmitatis  
ætatis, virtutis autem propriæ sui generis memor,  
gladios hostium in suum caput vitamq; districtos,  
non pertimuit. Multa antequam constringeretur,  
duabus periculofissimis vulneribus acceptis, ætate  
sc̄q; maiora edidit. Parentiç de se & de Rep. opti-  
mè merito (quando in ipsius complexu ut cogita-  
bat, expressum vitæ spiritum, aut in acie ante ipsius  
oculos effusum edere non licuit, animasq; amborum  
diuinæ & immortales, in coelum vnde erant profe-  
ctæ, vna deuolare) seruitute sensu moriendi, qui  
ad punctum temporis durat acerbiore, satisfecit.  
Atq; simul & suo honori consuluit, & alijs sui simi-  
libus proposuit, exemplum ad imitandum.

Ita Clarissimus sui ordinis vir, & inuictissimus  
Imperator, cum prius hostiū gladios videret, quam  
quæ res esset, audisset, dum suos expectat, incidit in  
eam

cam difficultatem , vt aduentantem hostium max.  
exercitum collectum , ex veterani & nostro labore  
instructis militibus , delectaque iuventute ex ultima  
Moesia accita , expectaret inuitus . Cumque sibi duos  
gradus propositos videret , aut interitus , aut seruitu-  
ris : maluit cum dignitate cadere , quam cum ignominia  
servire . Sic existimans , optatissimum esse vincere :  
Secundum , pro libertate & dignitate patriæ , ad  
mortem , si ita necesse sit , cupidissime concuttere .  
Reliquum non esse tertium , sed postremum omni-  
um , periculi metu & vita cupiditate suscipere , ma-  
ximam & tot ipsius rebus gestis indignam , fugae  
cupiditudinem . Est enim non humanitatis , sed diuini-  
tatis cuiusdam in homine indicivit pro omnibus gen-  
tibus , si fieri possit , conseruandis aut iuuandis , ma-  
ximos labores molestiasque suscipere , mortem etiam  
negligere ; immitantem veteros illos Heroes , quos  
hominum fama , beneficiorum memor , in coelum  
sustulit . Item non modo crudellem superbiamque do-  
minationem , sed ignominiosam flagitiosamque ser-  
uitutem ferendam putare : Dummodo insistas , &  
cum quibus certamen inieris , eos non relinquas :  
Summa virtus est summa gloria coniuncta . Sed vt  
redeamus unde digressi sumus , & concludamus  
aliquando , hostes immemores humanitatis , cuius nun-  
quam fuerunt participes , ipsorum inauditam cru-  
delitatem exercuerunt , non solum in viuos , sed etiam  
in mortuos : Omnibus enim præcipuis , capita a cer-  
uicibus abscederunt ; corpora mutilata , manca , &

nudata abiecerunt, concedentes eis humationem & sepulturam. In primis autem in ipsius nostri Ducis capite lacerando, & animos & oculos pauerunt suos. Primum enim ab omnibus certatim aspectus est; deinde ad filium captiuum ignominiae & faciens doloris causa delatum; ut & agnosceret, & viuentis atque spirantis, cum dolore recordaretur, atque adeo, ut ad vulnerum sensum & contumeliam acuseum, quem pati magnanimi viri difficile possunt, hunc etiam cruciatum hauriret acerbissimum in via. Tum linteo obuolutum atque obductum Bego quocumque se verteret, ad ostentationem victoriae & speciem Triumphi praelatum. Contra; istuc Diuino iam & in coelum relato Heroi illatum dedecus, nostrorum de ipso ad omnia compita, & in omnibus circulis honorificentissimis praedicationibus, querelis & lachrymis, cumulate compensatum fuit. Eo enim funestissimo die, quo nobis crudeliter eruptus est, ad vesperum, dissipatis iam hostibus, & cæde ducentorum nostrorum, qui initium configendi cum ipsis fecissent, & postea ad contentionem accurrissent: Itemque captiuitate duorum millium, quos in excursione, pugna & reditu comprehendissent, praeter modum latit: vndique concursum est ad locum prælij, quam diu Sol sua luce collustrabit terras, pernitosum & pestiferum futurum: atque ibi dispersa & diligenter conquista corpora sublata, & honorifice inhumata sunt, maxima omnium quotquot adessent lamentatione,

Interfectorum autem sempiterna gloria, quacum  
extremum vitæ spiritum, in conspectu sui Ducis  
effundere maluerunt, quam eum fortiter de ca-  
pite & fama decertantem, & vndeque hostium te-  
lis audiissimè appetitum, flagitosè relinquere.  
Postea IOANNES Baro Aurspergius &c.  
amplitudine generis, laude ingenij, industria, cæte-  
rorumq; ornametorum omnium præstantissimus,  
Imperatori mortuo, proximus dignitate, ipsiusq;  
donec successum sit Vicarius, alegat duos lecti-  
simos adolescentes, qui ad Begum, impetrata impu-  
nitate atq; licentia, de nocte adirent, ipsumq; suam  
vicem salutarent, & studiosè deprecarentur, ut va-  
rietatis fortunæ memor, filio captivo tantum hu-  
manitatis impertiret, quantum olim à patre ipsius  
in Vstrembegum, in eadem atque pari seruitutis  
conditione collatum, meminisset, atq; ut ipsius im-  
becillitatis rationem haberet. Itemq;, ut comitatis  
studiosus, quæ sui similibus viris maximè pro-  
pria esse debet, patris caput, suis restituere, non re-  
cusaret, sibiq; in maximi beneficij loco largiri, atq;  
vnâ cum reliquo corpore sepulturæ dari pateretur.  
Cujus fama fortitudinis, & deprecatorū gratia cō-  
motus barbarus, comior procliviorq; ad facilitatē,  
q; putaretur, & illud liberaliter spōdet, & hoc libē-  
ter cōcedit. Sed ut suæ victoriæ, in qua ipse pluri-  
mū spei præmiorum & gloriæ sempiternæ reponeret,  
aliquod indicium apud suos extaret, eiusque  
præclarí facinoris memoria, etiam ad posteros  
propa-

propagaretur, concedendum sibi esse affirmat, ut  
capiti pellem detrahere, paleaç refertam, suæ  
virtutis testificandæ, gratiæque sui Impera-  
toris sibi conciliandæ ergò, Constantinopolim  
mittendam curet. Itaque id subito fieri, & reli-  
quum deprecatoribus tradi iubet, eosç humaniter  
acceptos muneratosç ab se dimittit: Impertit etiam  
mortuo Duci, præclarum virtutis, fortitudinis, &  
antequam caderet, sumpti de suis interfectoribus  
supplicij testimonium. Quod eò gratius esse debet,  
quod ab hoste, & sua sponte immanit, & multifari-  
am læso profectum est. Sed ut ad propositum re-  
deam, corpus illustris, & rerum gestarum gloria  
clari Ducis, ut reliqua omnia mancum atq; nuda-  
tum, ipso die pugnæ commissæ, antequā se sol ab-  
deret, Fraicturnum est relatum. Vnde pridie, cha-  
ritatem patriæ non sensu suo, sed salute ipsius meti-  
ens, eo animo erat profectus, vt , aut imminente  
ipsi pestem, & immanissimorum hostium Sicas, in-  
terumnosos & calamitosos Coruatos, institutas,  
paratas & intentas, à iugulis ipsorum, victoria auer-  
ceret; aut , si fatum extremum venisset, atq; à Deo  
præfinitum esset, vt exiret è vita, largiretur patriæ  
suum sanguinem, latusç & agens gratias pareret,  
venireç se ex diuturnis tempestatibus, in portum  
arbitraretur. Vbi & sensu molestiarum & acerbi-  
atum, quas plurimas haufisset, in vita careret; & in  
æterna & planè sua domo, in sempiternis volupta-  
tibus, quas necç verbis exprimeré, neç cogitatione  
compre-

comprehendere possumus, viueret. Quatriduum  
post, magno comitatu, & signis ad speciem luctus,  
& ostentationem calamitatis præpostorè prælatis,  
Labacum in patriam allatum est. Quò eius honoris  
ficientissimè, & vt ipsius dignitas, & in Rempub.  
merita poicebant, inhumandi causa, omnes illius vi-  
cinitatis Principes viri, & sua sponte, & ampliss: Se-  
natus admonitu pridie cōuenerant. Hi omnes, mu-  
tato vestitu, publici luctus indice, maximo omnium  
ordinum & statutum virorum & mulierum, Ciuium  
& peregrinorum concursu, hora diei tertia, ad por-  
tam præstò fuerunt, præclarissimiq; atq; fortuna &  
nostris vicijs calamitosi Ducis excellentiarum, hu-  
manitatisq; imbecillitatis memores, ipsius corpus, præ-  
clari & penè diuini animi receptaculum, maxima  
profusione lachrymarum, externa testificatione  
inclusi doloris, decem lectiss. & nobilissimorum iu-  
uenum, quibus etiam ego ad societatem adhibitus  
sum, humeris sublatum, ad sepulturam prosecuti  
sunt, cui nullam iam aliam gratiam referre possent.  
Deinde ipsius laudes publicè sunt commemoratae,  
& ad ipsarum recensionem, nouus omnium fletus  
excitatus: maximaq; vis lachrymarum profusa. Ad  
extremum cum etiam caput à Bego impetratum in  
contionem esset allatum, yberioribus etiam omni-  
um gemitibus, lugubrioribus querelis, & crebrio-  
ribus suspirijs, corpus est redditum terræ: Vbi ad  
occasum & interitum eorum omnium quæ vide-  
mus, requiesceret. Atq; hæc omnia (vt iam dictum

est) maximis omnium luctus & doloris significa-  
tionibus, suscepta & transfacta sunt. Et certe imma-  
nitatis fuisset, omnem humanitatem repellentis, tam  
acerbo Reipub. vulnere, non intimis tensibus per-  
turbari; idq; & sermone & vultu, collachrymatio-  
ne denique non ostendere: Eiusq; morte non moe-  
tere, in cuius salute & vita, omnes boni, magnam  
spem ocij & concordie reponerent. Cuius omnem  
aetatem, in suæ Reipub. bellis consumptam esse me-  
minissent, & in quo Dei Opt. Max. duorum Cæ-  
sarum & Reipub. plurima & maxima beneficia &  
iudicia recordarentur. Ad summam nemo un-  
quam fuit, aut viuens, honoribus ad ipsum vltro  
delatis, rerumq; pro salute communi pæclare for-  
titerq; gestarum gloria honoratior: aut mortuus  
secundis omnium de ipsius virtutibus ac meritis,  
sermonibus, amplissimi etiam Cæsaris & Archidu-  
cis Caroli &c. testimonio celebratior, atq; haud scio  
an à posteris, ei maiores etiā amplioresq; gratia re-  
ferentur, atque illustrius pæconium virtutum &  
meritorum impertietur: de quibus verius & liberi-  
us, absque inuidia & absque cupiditate iudicabunt.  
Quanquam ei nullæ gratiae, nulli honores, nisi iusti,  
debiti ac necessarij haberij & referri possunt. Et  
mehercule cum ob alia permulta, quæ libens &  
breuitati studens pætereo, de maximè raro ho-  
minum genere existimari debet, tum ob illi in-  
primis, quod omnia sua ornamenta, omnes prospe-  
ritates, omnia commoda, Deo Opt. Max. accepta

retulerit: Eiusq; præsidio in omnibus cogitatis, factis & dictis maximè considerit: idq; in omnibus actionibus, quas aut priuatus, aut in Magistratibus gessit, aperte & palam præ se tulerit: in manus ac potestatem conseruatoris hominum Dei, & eiusdem largitoris bona fortunæ, & in aduersa adiutoris, omnem suam spem, omnesq; cogitationes reponens. Quam diuini auxilij implorandi formulam:  
**IN MANV DEI SORS MEA**, & quotidie crebris sermonibus usurpare est solitus, & semper in omnibus signis adscribi curauit: Eaq; comite, Duce, & omnium consiliorum regula atque magistra, multa præclara in hostes, sibi ad diuturnitatem nominis gloriofa, multis locis cogitauit, suscepit atq; consecit, Ipsius autem æquitatis in potestatis, fidei & integratatis in omnibus rebus, quibus societas hominum conseruatur: benevolentia in suos; amoris in aduenas & peregrinos, liberalitas erga omnes, itemq; comitatis reliquarūq; virtutum, testes sunt, non modo omnes quibus cum-vixit, apud quos nomine ipsius in maxima & gratia est, & gloria, sed etiam exteræ gentes & nationes, quantum grati sermones de ipsis laudibus, de quibus nihil præter auditum habene, nunquam conticescent: Quid multa: hominem esse arbitror neminem eorum, quæ quotidie domi & foris geruntur, non omnino honestem, peregrinū atq; rudem, quin nomine ipsius audierit: quin facta quoq; eius præclara, commemorare possit: Vt mihi magistimendum sit.

ne multas eius latides meritas atq; debitas, aut inopia  
orationis prætermisisse, aut ignoratione reticuisse  
quam ne aliquam in illum peregrinam & nouam,  
ipsius memoriae, aut vobis spectatis. Barones &c.  
assentatus, ex cogitasse existimer. Dabitis igitur hoc  
vestrae humanitati, in qua paucos pares, superiorem  
treminem habetis: itē q̄s meo in vos singulari sumo q̄s  
studio, in quo quanquam multi mecum contendunt,  
omnes tamen cupiditate vobis gratificandi, & ob=  
seruantia erga vos facile superabo: vt hanc meam  
exilem, & nudam ab omnibus ornamentis lucubra=

tionē, quotidianis meis studijs & interpellationibus  
ereptam, atq; ab optimo animo vobisq; deditissimo  
profectam, in bonam partem & ita accipietis, vt  
ego, omnia vestra cogitata cum virtute & bono pu=

blico cōiuncta, Deum īmortalem fortunare cupio:  
vosq; ad extremū existimare, vt nihil, vestri generis  
præstantiss: Heroi, nouum aut præcipuum accidisse  
putetis: atq; hæc mortalia atq; exigua contemnen=

tes: illa coelestia & sempiterna cogitantes, ipsius vir=

etutum admiratores, & imitatores factorum, id  
moderatè iam feratis, quod multos quietē  
& tranquillē, & tulisse & ferre  
intelligitis.



Apoll. Libero Baroni in Kaltneprun et Sonobitz  
etc Haereditaria successione supremo Ducatus  
Carniolae et Marchie Sclavonicae Venatoria  
Magistro, et primo Illusterrissimi Comitatus Go-  
ritsienis Sapientissimi Brenissimi Archiducis  
etc Confiliario, et Ordinum Carniolae Praefi-  
di etc [Sicil. Sufficit in eam Min. hof. 186.]